


RECIPE SALUTARE
CONTRA
SPINAS SPIRITUS & ANIMÆ,
SIVE OCTO

SOLILOQUIA
CHRISTI,
DIVINISSIMI MEDICI,

Ad Animam Sponſam patientem, plena admirabili doctrinâ, ad diſcernendas etiam intimas affectiones, ſubtiliſſimásque imperfectionum plagas & puncturas, quatenus mediante pretioſa hac curâ ſanata, in offenſo pede decurrere valeat triplicem orationis viam, & ad ſubtiliſſimam altiſſimæ contemplationis, Evangeliæque perfectionis apicem
P.P. Eremitar. pertingere. Camaldulensium

EX
SPIRITUALI DISPENSATORIO
S. P. JOANNIS à CRUCE,
Reformati Carmeli primo Parente,
Omnibus, perfectæ ſaluti inhiantibus (urgente charitate) communicatum, atque ob ſingulariſſimam utilitatem poſt varias linguas latinitati donatum, unà cum triplici appendice, ad eundem finem apprimè conducente,

Vigrensis *Cum Licentia Superiorum.* Eremi

A QUODAM
SUI ORDINIS S. SACERDOTE.

AUGUSTÆ & CRACOVIÆ.
Sumptibus Jo. Chriſtoph. Bartl, Anno 1754.



PRÆFATIO.

PErmolesta sanè (haud diffiteor) res est cuicunque viatori, votis omnibus ad dulcissimam, charissimámque Patriam aspiranti, non solùm exosis viarum ambagibus, aut nivium, imbriumque rigoribus, sed & insuper continuis pedum scrupulis vexatum retardari. Multò tamen pejùs se se habet pia ac religiosa anima per triplicem orationis ac meditationis viam toto nisu ten-

dens ad veram, quia cœleſtem Patriam, maximéque ad optatiſſimos Sponſi ſui Jeſu Chriſti, ſuper omnia dilecti, amplexus anhelans: Si obſtaculis majoribus ſuperatis quot acutis ſcrupulis, tot ſpiritualibus ſpinis ſuo in itinere ita præpeditur ac fatigatur, ut vel tardè, vel nunquam ſuo ex aſſe potiatur amato. Stygiæ impoſturæ, plerumque hoc opus, hic labor eſt, ejusmodi ſentes vel inter ſanctiſſimarum flores deliciarum ſeminare, omnémque movere lapidem, ut pes meditantis ejusdem identidem offenſus, aut omninò deſiſtat: aut non niſi cum multa difficultate, & ſudore incœptam Juſtorum ſemitam proſequatur. Et ecce opportunus nobis adeſt S. Joannes à Cruce, magnus ille ac myſticus

Do-

Doctor, quem dudum juratum, ac capitalem ſibi hoſtem ultrò profeſſus eſt infernalis latro, qui compaſſivo hisce malis occurrens affectu, præſentiſſimam ejusmodi Patientibus offert opem, medicam oſtentans manum, quæ aut fixas extrahat; aut latentes detegat; aut occurrentes removeat ſpinas, læſuráſque ſanet, quatenus myſticum ſpiritualis vitæ triduum per trinam ac tritam internæ orationis viam, non ſolùm ſine offendiculo, ſed etiam cum lucro ſuo maximo, nec minori totius ſtygis detrimento feliciſſimè valeat terminare: quæ utique res eſt maximi momenti. Quis enim neſciat, plus valere ac præſtare in conſpectu Domini, ſanctæque Eccleſiæ, unicam perfectam in arte meditandi animam,

quàm minùs perfectarum integram turbam? Age igitur anima devota & religiosa, utere salutari hocce Recipe, sequere hanc doctrinam, per omnia salutarem & Divinam, & habebis contra obvias spinas, earúmque læsuras, nunquam non ad manum probatissimum RECIPE, & præstantissimam Medicinam.



SOLI-



SOLILOQUIUM I.

Qualiter ſe anima devota convenienter regulare debeat tam inter delicias & delectationes, quàm inter anguſtias & tribulationes, non plùs æquo triſtando de iſtis, nec nimiùm lætando de illis.

1. *Sponſa.*

O dulciſſime Jeſu, Sponſe mi dilectiſſime! prô quantum inſidet mihi deſiderium ſciendi ac diſcendi modúmque normámque, quam tenere me oportet tam in lætitia, quàm in triſtitia, quæ vices non rarò agunt & alternant in me, ne aut per exceſſum, aut per defectum in utroque te Dominum meum offendam, ne aut inordinatâ depreſſa triſtitiâ, aut vanâ diſſoluta lætitiâ

 con-

contrà te (quod abſit) toties delinquam.

2. *Sponſus.* Si ſalutaris iſte timor cor tuum ſemper poſſideret, ac nunquam mente excideret, certè tu nec in uno nec in altero ad extrema unquam deflecteres, ſed ſemper cum moderatione ac modeſtia te haberes, ſicque medium tenendo, ſecurè utique procederes, nec multam triſtitiam ex adverſis, nec nimiam lætitiam ex proſperis admitteres, modò autem quoties ſecùs facis, me Sponſum tuum aliquo modò offendis.

3. *Sponſa.* Et quomodo me Domine mi, uti jubes moderamine in lætando, ſi non licet uti in te amando? ſiquidem juxtà menſuram dilectionis eſt & menſura exultationis. Et quanam ratione potero moderare triſtitiam meam? ſi frænum non invenio dolori meo, concepto de peccato meo, còntrà Sponſum meum dilectiſſimum toties commiſſo?

4. *Sponſus.* Cape conveniens reſponſum ad hoc, Sponſa mea, & ſcito, dari gaudium ſpirituale, quod naſcitur de eodem & actu intelligendi & amandi Deum, & huic moderatione nullatenus opus eſt, im-

imò potiùs nullum debet ſcire modum, nec habere moderationem hocce gaudium, utpote quod non deſtruit, ſed magìs perficit dictum actum intelligendi & amandi Deum, & quô hic perfectior eſt, eò perfectius erit & ipſum gaudium; nam alterum alteri vices reddit, quia alterum ab altero perficitur, in tantùm, ut anima tandem mediante utroque transforformetur in Cherubinum intelligendo, & in Seraphinum amando & jubilando. Modò autem ſicuti res ſe habet cum lætitia ſpirituali, ita & ſe habet (prout & debet & decet) cum triſtitia ſpirituali, quæ dimanat ex eodem actu, quo penetrat anima fœditatem peccati ſui cum maximo horrore & diſplicentia, contrà Dominum Deum ſuum & ſemetipſam admiſſi, & ne hîc quidem exigo moderationem aliquam, quoniam in hac nec modus præſcribitur ullus, nec exceſſus nimius eſt. Imò hac ratione perfectior redditur actus cognoſcendi & abhorrendi omnem culpam, & quantò hic perfectior erit, tantò perfectior erit & ipſa, hoc ex fonte, nata triſtitia, quoniam augmentum ab invicem captant, prout de

amore & lætitia ſpirituali tibi dixi, & hæc tibi notes velim.


5. Attamen eſt & alia inſuper ſenſibilis lætitia à Deo infuſa, redundans & deſcendens in potentiam imaginativam & in appetitum ſenſitivum delectationis ac complacentiæ, ſedem habens in ipſa voluntate, qualis contigit in mea transfiguratione, in qua corpori meo gloriam & gaudium animæ meæ communicavi. per hanc ſenſibilem lætitiam dilatatur Cor, ſuccenditur facies, & præ gaudio in lachrymas etiam reſolvitur. Et hîc tibi dico & modô & moderatione opus eſſe, quia hæc ab illa altera lætitia totaliter diverſa, & aliena eſt. Adeò, ut illam ſemper expugnare nitatur, quod ſi anima potentiæ imaginativæ & appetitui ſenſitivo prætenſionibúsque ejus acquieſcit, inducitur intellectus in cæcitatem, & voluntas in ſtuporem, talíque modô anima transformatur in carnem, & fit ſimilis jumentis ſylveſtribus, prorumpit in riſus diſſolutos, in variáſque exorbitat, tam in verbis, quàm in geſtibus inſanias, quas vulgi ruditas multoties eſſe aliquid ſpirituale judi-

judicat, cùm in veritate aliud nihil ſint, niſi mera fatuitas.

6. Inſuper datur etiam triſtitia ſenſibilis proveniens à Deo, ſéque ad imaginativam diffundens, hæc afficit appetitum ſenſitivum triſtitiæ, habétque ſedem in voluntate; quæ medium excedens, torquet & opprimit præcordia non raró uſque ad profuſas lachrymas & ſuſpiria. Ecce hæc eſt illa, quam refrænare omnibus modis te decet, eò quòd ſpirituali triſtitiæ ſit è diametro oppoſita, & capitalis inimica. Hanc ſi dominari in te ſinas, tollet lucem ab intellectu, & rationem à voluntate, idem faciens in ſuo genere, quod lætitia ſenſibilis & indiſciplinata facit in ſuo. Paſſio iſthæc (ſi indulgeas) eo usque degenerare valet, ut actiones, deſperatis ſimiles qualiter in Juda proditore videre eſt) exercere præſumat. Quodſi moderata fuerit, valdè bona eſt, ſin verò peſtifera, & modis omnibus pernicioſa.

7. *Sponſa.* O dulciſſime JEſu! prô quantum complacet ſibi anima mea in iſta pretioſa ab ore tuo audita veritate & doctrina: ſed obſecro, dic mihi, ſi talis

læti-



lætitia non provenit ex tui amore, nec triſtitia ex offenſæ, à me tibi illatæ, dolore, quid tum mihi factu opus eſt?

8. *Sponſus.* O quàm infans, rudis & puerilis tu mihi etiamnum in ſpiritu videris! quia times, ubi non eſt timendum, lætaris perſæpe de reculis viliſſimis, ubi nulla ratione foret lætandum, repeto igitur, & dico, ſi oportet certâ regulâ, normâ ac menſurâ te uti in iis, in quibus ſubeſt aliqua ratio lætandi aut triſtandi, quantò magìs ubi horum nulla ſuppedit.

Sponſa. Jam perſuaſam & convictam me in omnibus profiteor, attamen (ut mihi videtur) totum hoc negotium à meo parùm dependet arbitrio.

9. *Sponſus.* Bene, optimè. Si igitur non eſt in manu tua quidquam ex his omnibus, fac ex neceſſitate virtutem. Ego perſæpe licentiam (etſi limitatam) indulgeo Satanæ, ut probet, tentet, & affligat Sponſas meas cum ſervo meo Job. 2.] Quatenus ſeſe magìs cognoſcant, humilient, & in patientia exerceant, quæ (teſte Apoſtolo meo) eſt filia charitatis. Noſti enim, quia Ipſe prædicavi mundo 3], *majorem charitatem neminem habe-*

re

re, quàm ut animam suam ponat quis pro persona amata, prout exemplum & exemplar in, & à me habes. Profectò non est quid magnum, gratiis, beneficiis, & meis frui deliciis; hoc enim plurimorum est: ast bibere amarum internæ ac externæ afflictionis calicem ex amore mei, paucorum omninò est, & in horum numero te esse desidero. O térque quatérque beati omnes illi! qui esuriunt & sitiunt pati ac tribulari per cruces & tentationes propter me, quia saturabuntur, cibo ipsissimo, quem dedit mihi Pater meus. 3]. Qui juxtà plura Apostoli mei testimonia 4] non datur parvulis in virtute, sed fortibus, sed viris, sed adultis in illa.

10. Crevit Infans Isaac, ait S. Scriptura, abstraxerúntque illum à lacte & uberibus Matris suæ, propter quod jussit Pater ejus Abraham instrui magnificum convivium 5] in die ablactationis ejus. Sic & proficientibus subtrahitur lac dulcedinis & consolationis, & substituitur illorum locô cibus solidus angustiæ & tribulationis, háncque ob causam in Aula mea cœlesti agitur festiva dies lætitiæ, quia

quia omnis plangendi ratio ibi procul ab-
esse jubetur. Veni mecum ad librum Apo-
calypsis *6*), ibi videbis præcinctas zonâ
aureâ mamillas meas, & minimè ferreâ, non
enim ex odio, sed ex magno (quo in te feror)
amore sic tecum agitur: hic in causa est,
quòd non lumbos, sed pectus & ubera
consolationum mearum ostendam tibi fas-
ciata & abscondita, nam voluntas mea est,
ut crescas & adolescas, etiamsi tu non in-
telligas, nec convenit, ut cognoscas.

11. Hæc autem minimè fiunt ex aver-
sione ergà te [uti tu erroneè judicas] sed
hoc est ordinarium procedere meum cum
electis & dilectis meis. Si enim pœnæ &
angustiæ haberent rationem culpæ; si sen-
tire, esset consentire, si intelligere malum, es-
set amare malum; si sustinere esset gaudere;
tunc jure merito haberes ansam dubitandi &
causam timendi, me iram fovere contrà te,
præcipuè quandò in amarissimo pœnarum,
phantasiarum, acquarumvis adversitatum
Oceano jamjam submergandam te plangis.
Sed non ita res tua se habet, siquidem
major est differentia inter culpam & pœ-
nam, inter sentire & consentire, inter
velle & cognoscere, quàm inter cœlum &
ter-

terram: eò quòd priora habeant rationem offensæ respectu mei, posteriora verò non ita, sed potiùs augmentum meritorum apportent, si tamen cum patientia & humilitate sustineas illa; malè igitur facis, si te affligis ob rem, quæ nullatenus me offendit, sed potiùs grata existit.

12. Considera bene scalam Jacob. 7. Nonne æquè erant Angeli, illi qui descendebant, quàm qui ascendebant? Idem usuvenit apud Sponsas meas, quas modò humilio per tribulationes & adversitates, modò exalto per gratias & favores. Nunc illæ vexantur & mortificantur per Sponsi absentiam, modò recreantur per optatissimam illius præsentiam. Profectò nemo mortalium est, cui detur semper assidere nuptiali convivio, cum exemptione in hac vita ab omni jejunio. Hallucinaris planè, si quid simile desideras. Sola illa vita est vita stabilis, & immutabilis gloriæ & lætitiæ, hæc autem jugis alternatio mortificationis & pœnitentiæ. Putásne sana vota esse apud me illa, quibus optas, ut via & exilium tibi dulcescat velut Patria & Regnum? quod carcer tribulationis mutet faciem in Paradisum vo-

luptatis & exultationis? minimè gentium. Forſitan tu major eſſe vis Apoſtolo meo? 8. cui, ne in gratiarum abundantia, favorúmque præſtantia ullatenus ſuperbiret, datus eſt ſtimulus carnis, quem Angelum Sathanæ ille appellat, à quo eo uſque vexatus eſt, in talèsque anguſtias rédactus, ut ferventer & frequenter oraret, & idenditem mihi gemens ſupplicaret, quatenus tolleretur à ſe, & tamen non eſt exauditus à me, quia virtus humilitatis, patientiæ & charitatis perficiuntur in fornace tentationis & afflictionis.

13. Nec mihi opponas velim, te neſcire, ſi ita & tecum agatur, ſed potiùs timere hæc quaſi ſigna reprobationis, & initium dolorum infernalium, qui tibi, ob multorum conſciam demeritorum, juſtè præparantur; excute procul à te ſimiles phantaſticas cogitationes; ſufficiat tibi teſtimonium conſcientiæ tuæ; per gratiam & miſericordiam meam peccati mortalis de facto te haud accuſantis. Vis noſſe, ubinam hujusmodi timor locum habeat? in illis utique, qui ſcienter, dum hoc modo affliguntur, in actuali & gravi Domini Dei ſui offenſa verſantur.

Fortè

Fortè & ego talis ſum, reponis, quæ etiamnum hæreo infixa in limo profundi? ſed nunquid multoties audiſti? Deum facienti quod eſt in ſe, ſuam nunquam denegare gratiam? Tu autem hoc feciſti, & ſæpiùs ſecundùm vires tuas feciſti, ſcilicet cogitando & dolendo de peccatis tuis, & Eccleſiæ Sacramenta frequentando.

13. Concludo hæc cum addito, ſi te modò non das victam & convictam potenti hocce veritatis ariete, & ſi inſuper te non judicas indignam ipſa cruce & tribulatione, ſignum evidens eſt, te hìc & nunc plenam eſſe amore proprio ac inordinatis deſideriis, quæ tibi impedimento ſunt, quò minùs veritatis hujuscemodi lucem aſpicere, aut deſiderare, vel amare valeas. Quapropter ſequere conſilium meum. Suadeo tibi, exinceps firmiſſimè proponas, æſtimare dulce amarum, & amarum dulce, hæc faciens grandi frueris pace. Si tenebræ te premunt, ſpera lucem, & poſt lucem tenebras, ſic experientiâ diſces, tibi idem propè contingere, quod Amico meo Job; nec aliud tractamentum Sponſæ meæ ſperare debent. Modò oſtendo me illis per tranſennam,

& poſt modicum abſcondo faciem meam. Quatenus utroque hoc medio altiores in eis humilitas radices agat per abſentiam; amórque meus ſemper magìs magíſque exereſcat per præſentiam. Hæc ſunt illa duo puncta, quæ in eis amo, ac majori zelo zelare ſoleo. Profectò ſi ad te tuáque velis reflectere, etiam tecum ſic ſæpiùs agi, & actum eſſe, deprehendes.

1) Matth. 5. 6. 2) Joan. 18. 11. 3) 1 ad Corint. 3. 1. 4) Gen. 21. 8. 5) Apocal. 1. 13. 6) ibid. 3. 19. 7) Geneſ. 28. 12. 8) Prov. 18. 23. 9) 2 ad Cor. 12. 7.

SOLILOQUIUM II.

In quo reaſſumitur, & ampliùs explicatur præcedens materia, ſimúlque oſtenditur, quænam ſit oratio interna tum recollectionis, tum meditationis, illámque huic eſſe præferendam

1. *Sponſa.* Deſidero vehementer, Domine mi, prædicta denuò ſummatim, & in compendio audire; & hoc pro majori profectu meo; ſic enim fa-

facilius capio, & firmiùs menti inhæſitura ſpero. Nam ultrò fateor, mihi valdè curtam & debilem eſſe memoriam.

2. *Sponſus.* Ecce lubens in vota tua condeſcendo, & totam, quam usque modo audiſti à me lectionem, tibi paucis recanto, revocans in memoriam, quæ te in oratione ac ſpiritualibus exercitiis ſentire toties facio. Sunt autem gaudium & delectatio ſenſibilis, gaudiúmque & delectatio ſpiritualis, ſive cibus parvulorum, & cibus adultorum. Et licet in ſuperioribus quatuor hæc puncta ad ſufficientiam ſint ventilata, nihilominùs admonitam te velim, ut tibi caveas de errore, in quem non ſolùm animæ rudes ac ſimplices, ſed etiam valentiores, imò & ſapientes Philoſophi non raró ſolent impingere, confundentes, aut pro eodem accipientes utrumque dictum gaudium. vel, ſi hoc non faciunt, ſaltem de ſpiritali & ſenſibili eodem modô judicant; id quod in cauſa eſt, ut ſenſibili delectationi utraque manu fræna laxantes, in maximas ſeſe præcipitent ſtultitias, quas infernalis ille Impoſtor ſuis inſufflationibus omnibus modis promovere ſtudet.

3. Alterum malum, hoc ex errore consequens, eſt falſa norma & erronea regula, judicandi de bonitate & malitia actionum ſuarum. Ubi advertere debes, in bona morali Philoſophia bonitatem & malitiam actionum moralium principaliter conſiſtere in voluntate. Ut autem quis intelligat, utrum hæc voluntas bona ſit, an mala? ante omnia ad finem maximè ipſi attendendum eſt, in hoc namque ipſa voluntas firmiter hærere, & totam requiem ſuam ponere ſolet. Et hocce quieſcere ego gaudium ſpirituale apello. Exinde namque habent actiones veſtræ, quòd vel bonæ, vel malæ exiſtant; ita, ut ſi delectatio fuerit de re bona, etiam actus erit bonus, ſi de mala, ſimiliter actus quoque malus erit.

4. Igitur mea ſchola pro infallibili regula bonitatis ac malitiæ moralis in agendis ponit ſpirituales voluntatis delicias, nullatenus verò seductorium illud appetitûs ſenſitivi gaudium. Sed cave ne quosvis vehementes lætantis animi motus aut ſuſpiria, vel riſus huc reducendos exiſtimes. Siquidem hoc totum non niſi ſenſibile & ſenſuale eſt, licet aliter judicent

plures ſimilis farinæ homines. Qui illa ſolùm magnifaciunt exercitia, quibus dicta ſenſibilia præſtò ſunt, ſic oratio, obedientia, diſciplina, imò & S. Communio, ſi carent hocce condimentô, ipſis inſipida ſunt, ſtomachúmque movent, atque pro perditis habent omnia, quæ perverſo ſuo genio non concordant.

5. Crede mihi filia, hujus generis animæ nunquam proficient, nunquam verè ſpirituales erunt, quia cibos ſolidos recuſant, ſempérque ad ubera pendere, & ſic infantes manere deſiderant, quidquid amarum eſt, quidquid inſipidum (quantumvis ſalutare) faſtidientes. Utinam tandem ſaperent, & intelligerent, ſeſe in immaturo ſuó & infantili Judicio vehementer decipi; Spiritus eſt, qui vivificat, Spiritus, qui verè impinguat: de ſenſu ad Spiritum te transferri volo, non de Spiritu ad ſenſum ordine præpoſtero. Repeto igitur ac omnimodè inculco, gaudium ſpirituale aliud non eſſe, niſi ſpiritualem voluntatis quietem in re, quam actualiter amat.

6. Interim non abnuo ſenſibile gaudium (ſemper tamen cum addito, ut ſit

moderatum ducere & conducere posse ad spirituale, & ob hanc rationem non bene agunt, qui illud totaliter excludere nituntur de bonis suis actionibus, dicendo, hoc non bene agi cardinem præsentis negotii. Utantur tantùm hujusmodi frænô discretionis & prudentiæ, ne quid nimis studeant punctum hoc ad profectum suum dirigere, prout oportet, & salva res erit.

7. *Sponsa.* Profectò Domine mi, totum, quod percepi à te, multum mihi luminis præstat. Ex hoc jam intelligo, magnam & pretiosam fuisse gratiam, quoties mihi in oratione sine ullis meritis meis similem quietem, etiam non intelligenti aut æstimanti, gratiosè concessisti. Adverto etiam, orationem meam à potiori hacce in quiete consistere, & hoc gaudio redundare, quando scilicet voluntas mea jubilat & exultat in te ac de te sine strepitu, sine tumultu imaginum ac cogitationum, quas potiùs mihi obesse, quàm prodesse sæpiùs notavi. Quoniam fides sacrosancta longè altiora mihi de te, Sponse mi dilectissime, suggerit, quàm ulla angelica aut humana ratio, aut quævis creatura possit imprimere in cœlo & in terra.

8. *Spon-*

8. *Sponſus.* Sciebam utique, te incedere per viam recollectionis, quietis, & delectationis, quam hauriebas ex me, non quidem cum tanta æſtimatione, quam illa merebatur; placebat tamen videre te anxiam ac ſollicitam, ne fortè tempus orationis tali modô inutiliter tranſigeres, quod aliàs multis intellectûs diſcurſibus ac meditationibus inſumere ſolebas, ac etiam ab aliis ſic fieri audiebas. Verumtamen non affligas te hac ſuper re, de qua potiùs gaudere quàm dolere deberes, quia incomparabiliter melior eſt oratio internæ recollectionis & quietis, quàm meditationis & diſcursûs, cum hæc plus non ſit, quàm via ad illam, veluti ad terminum. Hic eſt ille ſomnus, quem tanta curâ curo & procuro inter Sponſas meas, dilectas meas, adjurans Filias Jeruſalem (cogitationes nempe, diſcurſus intellectûs, ac ſenſuum operationes) per capreas cervósque camporum, ne inquietent, aut ſuſcitent eas, quoadusque ipſæ velint.

9. Ceterùm ad hanc pacem, quietem, ejúsque fruitionem dulciſſimam non facit quidquam magìs, quàm ſtudium S.

ſolitudinis; hanc autem gratiam ſingulariſſimam donô meo jam diu experiris in te. Quid enim eſt illa creaturarum, quanrumvis ſanctarum, fuga, quæ obicem in *ſalutari hoc exercitio* ponere poſſunt? quid illud frequens deſiderium, quid jugis illa aſpiratio ad ſolitudinem? & meritò affectas mediante hacce recollectione commercium cum Sponſo tuo, ſícque ſola cum Solo, quia nunquam minùs ſola es, quàm ſi ſola mecum, & in mea ſocietate es. Igitur cave tibi omnibus modis, ne aliquando tragicum illud adagium verificetur de te, *Non cognoſcitur, nec æſtimatur bonum, niſi poſtquam eſt deperditum*; perdes autem & tu absque dubio pretioſum hunc orationis theſaurum, ac ſolitudinis deſiderium, quando juxtà dignitatem ſuam non magnificas, anteponendo omnibus occupationibus, ad quas vis obedientiæ non adſtringit.

10. *Sponſa.* Heu quanto terrore percellunt verba hæc tua mentem meam o dilectiſſime Sponſe! Ex nunc propono firmiſſimè habendi in majori, quàm hactenus pretio, geminam hanc gratiam tuam, quatenus cum omni veritate ſemper dicere

poſ-

possim dilectus meus mihi, & ego illi. 1) Interim satis instructa sum circà delectationem & spiritualem, & sensualem. Sed dic amabo clariùs, in quo consistat cibus parvulorum & lactentium, atque cibus adultorum & fortium? ut in exercitatione mea illo pasci ac nutriri incipiam.

11. *Sponsus.* Omnis sit honor & gloria Patri misericordiarum, ac Patri luminum, qui talia vota tibi suggerit; Ille te conservet ac perficiat, ut mediantibus illis crescas, & mercedem plenam, ac cogitatam recipias. Quantùm verò ad quæsita, nosse te decet, cibum hìc parvulorum & lactentium alium non esse, præter sensibiles consolationes & delectationes, quas in principio conversionis ac amicitiæ meæ, animæ lactis adinstar (quia ad majòra inhabili) soleo instillare, & sæpe etiam existenti in gravi peccato, adeóque necdum me super omnia amanti.

12. Insuper ad seriem cibi parvulorum & lactis pertinent revelationes, visiones, raptus, cognitio ac discretio spirituum, ceteræque *gratiæ gratis datæ*, pertinentes ad intellectum, & ab Apostolo meo scribente ad Corinthios enumeratæ 2), necdúmque

dúmque peccatum mortale excludentes. Ista sese in pretio habuisse confitetur, quamdiu erat parvulus, recenter ad Deum conversus. Accipe propria ipsius verba: „Cùm essem parvulus, ait, sapiebam ut „parvulus, cogitabam ut parvulus, pro„phetabam ut parvulus. „ Ita omninò, habebat revelationes, visiones ac raptus ut parvulus, & quidem in tanta copia, ut per tres continuos dies pleno ore abundantissimè de hujusmodi lacte gustans, raptus sit ad tertium usque cœlum. . 3 .) Unde necesse fuit amoveri eum ab ubere, ne nimiùm sese ingurgitaret. Dictum, factum, locô dulcedinis appositus est illi calix plenus amaritudinis, qui fuit, ipsomet teste, stimulus carnis & Angelus Sathanæ, à quo taliter afflictus est, & exagitatus, ut ad modum infantis in die ablactationis suæ amarissimè flens, regressum ad priores dulcedines & consolationes importunis clamoribus ac precibus sollicitaret. Sed ego, sciens quid ei expediat, negavi misericorditer, & repulsam dedi, ne immodicus ad lactis escam pruritus incauto noceret, ac fortè omninò necaret, id est, ne spiritu inflaretur

super-

ſuperbiæ, & creparet medius. Et hoc eſt illud periculum, quod ejusmodi lactis dulcedinem comitatur, & cibum parvulorum; per indiſcretum ſiquidem ejus uſum redduntur molles, & ad internecionem uſque non rarò per ſuperbiam inflantur, & intumeſcunt.

13. Quandò autem cum ætate crevit in virtute, quandò jam dentatus, factus eſt idoneus, maſticandi cibum ſolidum (crucem inteilige& omnimodam tribulationem) prout dixi ad ſervum meum Ananiam 4], tunc continuò reſpuit ipſemet ejusmodi cibum parvulorum, totóque meliori appetitu ſuo converſus eſt ad cibum adultorum, ac fortium virorum. Unde glorians in Domino menſam, ſimili ciborum apparatu inſtructiſſimam, oſtentat Corinthiis 5], in qua jucundatur in amaro ſcilicet ſapore tribulationis, anguſtiæ, perſecutionis, in labore omnis ariditatis Patientiæ, amaritudinis & charitatis. Ecce cibos virorum fortium: iſti cum mortali offenſa nulla ratione ſtare poſſunt. Hucuſque tibi expoſui, quales conſolationes, gaudia & dulcedines quærere, & eligere te convenit, tanquam cibos ſalutares; in ſe-

ſequentibus verò tibi viam excellentiorem oſtendam, ſi ex toto corde te mihi reſignaveris. Ego te paſcam ſingulis horis talibus eſcis, quæ profectum tuum indies mirifice augebunt; aperi os tuum cum omni humilitate, & implebo illud.

1) Cantic. 2. 16. 2) 1 ad Corinth. 12. 3) Act. 9. 9. 4) Act. 9. 16. 5) 2 ad Cor. 12.

SOLILOQUIUM III.

In quo oſtenditur quid ſit oratio quietis, ejúsque proprietates ac nomina quæ ſuſtinet.

1. *Sponſa.*

O Dulciſſime JEſu, Sponſe, & Domine mi dilectiſſime quanta conſolatione conſolatus es me, in oſtendendo apertè, quòd ſola delectatio ac conſolatio ſpiritualis, & non ſenſibilis aut ſenſualis ſit Regula manifeſta bonitatis & malitiæ actionis meæ. Igitur nulla impoſterum turba, peſſimarum licet cogitationum, nulla vis peſtilentiſſimarum tentationum nec mini-

minimam dabunt pœnam, ſi nulla voluntaria complacentia mihi per tuam dominabitur gratiam. Econtrà, ſi me plenam ſenſero bonis ac ſanctis cogitationibus, pacem & quietem poſt ſe relinquentibus, gaudebo & exultabo in te, quia gaudium iſtud ſpiritale manifeſtum eſt ſignum præſentis gratiæ tuæ, quæ mihi donatur à te. Hac ſola menſurâ amodò menſurabo vitam meam, actionésque meas, quæcunque illæ fuerint, regulabo.

2. Inſuper dediſti lumen mihi, quo cognoſcam diſcrimen inter utramque, & parvulorum & adultorum eſcam: ſeu incipientium tyronum & adultorum, (imò & perfectorum) diſtantiam. Sed quæſo, dignare ampliùs loqui circà hæc myſteria, quoniam tanto magìs te de illis fusè & clarè loquentem audire delectat, quanto magìs agnoſco absque ullis meritis meis, & ex ſola miſericordia tua me in hac orandi methodo verſari. Ibi enim exulto & jubilo in te, ibi dulciter & fruibiliter quieſco in te. Loquere ergo Domine, ecce audit Ancilla tua, & videt totum orationis, discursûs ac meditationis exercitium

citium ordinari ad orationem quietis, tanquam ad finem, ad scopum, & terminum.

3. *Sponsus.* Libenter aquiesco petitioni tuæ, quia ex hisce desideriis tuis jam in vestitura spirirûs mei sese monstrat in te. Proinde ante omnia notes velim, contemplationem, ejúsque finem in eo principaliter consistere, ut cognoscas clarâ, & (quantum fides permittit) pura visione essentiam meam, potentiam, sapientiam, majestatem ac pulchritudinem meam, cum ceteris attributis & perfectionibus meis, amorosè quiescendo in suavissima unione Spiritûs tui cum spiritu meo. Et hæc omnia summa cum admiratione, sacro stupore, & fortissimo amore, prout & ipsa experientia jam aliquoties te docuit. Quò enim vehementior & ardentior amor erit, eò etiam majorem unionem causabit tam in hac, quàm in altera vita. Nam juxtà mensuram amoris, erit & mensura gratiæ, gloriæ, & unionis.

4. *Sponsa.* Bene comprehendo, in quo sita sit vera contemplatio, sed qualiter anima mea ad statum tam sublimem possit pertingere, non ita, nisi tu, ô dulcissime

cissime Magister! ô Veritas incarnata! ostenderis mihi.

5. *Sponsus.* Iterum quæris, quod jam possides, si bene te ipsam nosses. Modus igitur, quo anima ad contemplationem se accingere debet, est totalis oblivio tam cælestium, quàm terrestrium creaturarum omnium, cum interdicto omnis discursûs intellectûs, qui locum hìc penitus non habet, sed sola visio (quantum fas est) essentiæ bonitatis, majestatis, & pulchritudinis meæ, cum ineffabili amoris intensissimi suavitate, gaudendo, fruendo, quiescendo in me. Id autem, quod à multis dicitur oblivio totius creaturæ, ab aliis nominatur recollectio ad intrà totalis animæ in semetipsam: quando videlicet omnes cogitationes & desideria, quæ priùs in varias res & objecta fuêre dispersa, congregat & colligit in se ad me, cum summo actuali amore, desiderio, & gaudio, quiescendo super omnia in me.

6. Etiam silentium spirituale appellatur dicta oblivio, quoniam cogitare & reflectere modò ad hæc, modò ad illa, hoc totum in anima tua nihil est aliud, quàm loqui & discurrere. Proinde quando

illa cessat ab omni cogitatione & discursu etiam interno, simplici intuitu attendendo ad me solum, tunc in hoc sacro absorpta hæret silentio.

7. Tandem dicitur etiam oblivio hæc, cessatio, & quasi feriatio intellectûs ac memoriæ ab omni operatione, nihil prorsùs cogitando de ulla creatura, nisi de solo Creatore. Ego ego sum solus objectum beatificum, & meta potentiarum tuarum. Quodsi fortè audîsti, oblivionem prædictam dici actum voluntatis: hoc non ideò, quasi intellectus tunc non intelligat, sed quia simplici apprehensione & obtutu fertur in me, & ex hoc voluntas continuò ardet, & amat me, quia nemo potest amare id, quod non intelligit. Ex quo sequitur, amorem tuum semper associatam sibi habere cognitionem summæ & infinitæ bonitatis meæ.

8. In modò relatis stat oratio quietis, silentii, & recollectionis: & hanc de factò possides, & possidebis, quamdiu tibi à negligentia, ingratitudine, & superbia cavebis, tunc nec auferetur à te in æternum, quia scriptum est: *Charitas nunquam excidit* 1). Hanc partem elegit sibi

Maria

Maria, quæ figuram contemplationis in ſe exprimit: Hæc non auferetur ab ea in æternum 2). Cuſtodi igitur omni curâ pretioſiſſimam hanc margaritam, non cuique obvio à me conceſſam. Profectò nobiliſſimum, ſuaviſſimum, & prorsùs divinum illius eſt exercitium: quia caret omni diſcurſu intellectûs, & ideò non fatigat, nec tædium generat, potéſtque anima tua longo tempore illâ gaudere, maximè ſi humanitatem meam jungas tibi ſociam. Sic poteris in otio ſancto ſedere cum Maria ad pedes meos, ac videre & guſtare, quàm ſuavis ſit Dominus: vel delectari de infantia mea amabiliſſima, illa te docebit eſſe parvulam & humilem in oculis tuis cum parvulis 3), quia his promiſi Regnum meum.

1) 1. ad Cor. 13. 8. 2) Luc. 10. 42. 3) Marc. 10. 14.



SOLILOQUIUM IV.

De quinque ſpinarum & impedimentorum generibus, quarum aliquæ impediunt orationem quietis, aliæ impellunt ad illam.

1. *Sponſus.*

PLus ego, ô Sponſa mea! te amo, quàm pupillam oculi mei, imò plus, quàm ipſam vitam meam, quia & hanc dedi pro te; oportet ergò lætos ſemper & amoroſos obtutus te per contemplationem convertere, & figere in me. Nec hoc tu viribus tuis referas in acceptis, ſed gratiæ meæ, quæ te juxtà vota tua valdè purificat & dealbat; alioquin non pateret tibi acceſſus ad me. Manet enim fixum, ratúmque, quod dudum dixi in Evangelio meo 1): *Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt.* Nam ſolùm ornati veſte nuptiali, ſeù byſſo omnigenæ puritatis admittuntur ad cæleſtes nuptias 2), clauſâ manente januâ, omnibus maculoſis, coinquinatis, & quibuſvis imperfectis. In gratiam proinde ineffabilis (quo in te feror) amoris, quo tuum nunquam non zelo

profectum in omni virtute, & incrementum in recollectionis, quietísque, (quam indulsi) oratione, asperiori non nihil admonitione tecum agam, spinásque, quæ tuam quandoque recollectionem, ac quietem internam impediunt, ac perturbant, ob oculos ponam. Converte te ad patientiam, quia hoc totum, tuum tendit in bonum, ac cautelam.

1) Matth. 5. 8. 2) Apoc. 21. 27.

PRIMA SPINARUM CLASSIS.

De superfluis curis, quantumvis bonis, orationem interturbantibus, ac per solam ergà Confessarios obedientiam & humilitatem sanabilibus.

2. *Sponsus.* Et quandò tandem penetrabis, curas nimias ac superfluas aliud nihil esse, nisi spinas suffocantes in anima tua, gloriosum ac pretiosum semen quietis, & internæ recollectionis? Usquequò non capis, excessivas hasce sollicitudines [etsi per gratiam meam minimè sint circà temporalia, nec circà carnem & sanguinem, quales plurimas invenire est in personis sæcularibus] ideò reprehensibiles, quia vitiosas, in te existere? Piùs æquô siqui-

ſiquidem affectas & deſideras, quantocyùs valdè ſpiritualis, pura, & ſancta eſſe. Ecce mala ſunt hæc omnia deſideria, quia nimia, quia ſenſualia. Si non cognoſcis, latentes hoſce ſub ovina pelle lupos 1), obſerva pedes eorum, id eſt, effectus & impreſſiones, quas relinquunt poſt ſe.

3. Vide & attende, qualiter minuant recollectionem, pacem, ac quietem animæ tuæ, quæ omnia ſunt grande bonum, & tale, quòd, ad illud mundo prædicandum, cæleſtem etiam muſicam adhibuerim in nocte Nativitatis meæ; & quid cantabant, niſi *pax in terra hominibus bonæ voluntatis* 2)? Idipſum repetii in ultima Cœna, receſſurus ex hoc mundo, dicens: *Pacem meam relinquo vobis, pacem meam do vobis* 3), quoniam in ipſa habitatio mea, juxta illud: *Erit in pace locus ejus* 4).

4. Profectò nimia hæc ſollicitudo tua infidelem te probat, ac rebellem Patri tuo ſpirituali, conſequenter & mihi, cujus vices ille agit; & hoc etiam, poſtquam toties audîſti: *Qui vos audit, me audit; & qui vos ſpernit, me ſpernit* 5). Scrutare tandem radicem inquietudinis tuæ, &

expe-

experiêre, illam non esse aliam, quàm defectum humilitatis; & [ut claré dicam] superbiam, amorémque proprium, quæ instanter exigunt, omnia fieri secundùm genium & beneplacitum suum, seu proprium amorem tuum.

5. Quòd autem defectus sit humilitatis, apertè constat, quia justior esse appetis illis, de quibus testificatus sum, quòd *septies in die cadat Justus* 6). Ipsi pro talibus [id est, fragilibus] se agnoscunt, utì & ab aliis agnoscuntur, propter quod sese humiliant, & humiliari desiderant. Tu econtrà non vis te agnoscere, nec humiliare: minùs agnosci, & humiliari. Sed audi, quid dicat Scriptura 7): *Noli esse justus multùm, ne obstupescas in justitia tua.* Ecce, talis videtur esse justitia tua, & non mea, quæ nulli partium facit injuriam; tua verò solùm intenta est ad pacem tuam, ad interesse proprium tuum, faciens te timere, ubi nulla ratio timendi 8). Sed tali modô procedendi elongas te à me, tradens te inimicis & meis, & tuis, auferens lumen animæ tuæ, præcipitando te in tenebras, turbationémque mentis tuæ, ut probes veritatem illius

proverbii 9]: *Summa juſtitia, ſumma injuſtitia eſt, & crudelitas*; & talis pœna jure debetur tali culpæ.

6. Oportet proinde te humilem eſſe uſquequaque, & non præſumere tanta de te. Diſce eruere humilitatem ex tuis defectibus, & non amaritudinem & perturbationem, quibus me ampliùs offendis, quàm ipſiſmet tuis defectibûs; nam iſti quandoque exigui ſunt, & quaſi nullius momenti; jactura autem pacis internæ ſemper magni momenti eſt. Putásne bonam hanc eſſe juſtitiam? erras certè multùm. Nam ut evites defectum modicum, cadis in magnum, & dum niteris tuam purificare animam, maculas, & coinquinas eam; nam inquietudo interna eſt vera coinquinatio, magnáque miſeria contradicens, & oppoſita è diametro veræ felicitati, quæ amatoribus pacis promiſſa dudum eſt 10], & quam quærere te oportet, donec invenias eam.

7. Quodſi reſpondes, te non ita turbari ob defectus, erroréſque præſentes, quàm ob antiquos & præteritos; ſcias, te neque propter illos, neque propter iſtos debere turbari: potiùs convenit te confugere

fugere ad bona propoſita, ac ſalutares determinationes, & reddere illas efficaces. Noli fidere memoriæ tuæ, quæ infirma eſt, & defectibilis, & ideò nullam ei adhibeas fidem; quia, quod herì dixit aut fecit, hodie non recordabitur ampliùs, quid de tantis retroactis annis fiet? Neque tuo credas intellectui, nullíque diſceptationi te cum illo committas, num ſis in ſtatu peccati, nec ne; quia excæcatur exceſſivo timore, de cæco autem rationes non niſi cæcas ſperare licebit: ſícque pro luce, quâ priùs fruebaris, in tenebras offendes.

8. Omnibus his unico finem dabis ictu, ſi fueris humilis, per omnia ſubjecta, & obſequens Confeſſarii tui conſiliis. Stude in continuam praxin deducere proficuum illud S. Pauli exercitium 11], & quæ retrò, ſeu præterita ſunt, obliviſcens, totâ ſollicitudine ſe extendere ad fugam omnis culpæ, & acquiſitionem virtutis heroicæ. Quid juvat, téque, tempúſque ſolitudinis, conſumere vanis ſpeculationibus, quæ modò memoria, modò intellectus repræſentant de tranſacta vita tua: cùm tamen apud me in oblivione ſepulta

jam ſint; poſt dolorem enim peccatoris, poſt culparum confeſſionem, ego non recordor earum ampliùs 12]. Ne inferas, te haud eſſe ſecuram, num habueris aliquando ſufficientem dolorem, ſed ſolùm credere, te habuiſſe, & ſic audiiſſe à Confeſſario: Acquieſce; quod plus eſt, ſuperbia eſt; defectus fidei & humilitatis eſt, nolle conſentire, nolle acquieſcere.

9. *Sponſa.* O dulciſſime, & ſuper omnia amabiliſſime JEſu! tu es verè incarnata Sapientia, tu Veritas ſumma & increata, & ideò ſequar per omnia ductricem manum tuam. En ſtatuo flocci faciendi omnes phantaſticas intellectûs ac memoriæ ſuggeſtiones, ac pro clara, diabolicáque tentatione habendi, quidquid turbat pacem aut quietem animæ meæ, præſertim cùm videam idipſum eſſe beneplacitum tuum, quo nihil magìs deſidero.

1) Luc. 2. 14. 2) Joan. 14. 27. 3) Luc. 10. 16. 4) Prov. 24. 16. 5) Pſ. 75. 3. 6) Luc. 10. 16. 7) Prov. 24. 16. 8) Eccleſ. 7. 17. 9) Matth. 5. 9. 10) ad Phil. 3. 13. 11) Ezech. 18. 22. 12) Eccleſ. 7. 17.

SECUNDA SPINARUM CLASSIS.

De S. Communione nunquam intermittenda ob ſcrupulorum vexationes: de remediis contra peccata venialia, ubi non eſt Confeſſarii copia: & de cavenda Communione in peccato veniali: de præſenti volito, & actuali.

10. *Sponſus.* Necdum finis ſpinarum tuarum, filia mea. Dantur adhuc aliæ, non minùs doloroſæ ac pernicioſæ prioribus. Tollunt enim, ſicut iſtæ, pacem; ita illæ menſam Euchariſticam, ſacrámque Communionem ob dubiorum anxietatem, diſceptantibus inter ſe cogitationibûs tuis, num dignè, vel indignè accedas ad illam: num non meliùs ſit remanere, quàm accedere? Hæc, ut paucis expediam, dico, accede ad S. Communionem, quandò jubet, qui jubendi poteſtatem habet, ſive ſit Prælatus, ſive Confeſſarius tuus; & crede te ita accedere, prout ego volo, & deſidero, hoc eſt, ſine remorſu alicujus gravioris peccati, per confeſſionem nunquam expiati, juxtà verba Apoſtoli mei 1), ac Concilii; quantùm ad venialia præterita, illa non obſtant, poſsintque per eandem S. Communionem, vel dolo-

dolorem, ſi Confeſſarius non ſit ad manum, de facili deleri. Depone igitur ſcrupulos, & noli perdere nec tempus, nec occaſionem recipiendi Sponſum tuum, nullâque ratione permittas ob leves defectus ab illo te arceri. Utere potiùs remediîs, quæ ego per Eccleſiam meam tibi ſuggeſſi, qualia ſunt, aquâ ſe aſpergere luſtrali cum ſigno Crucis, percutere cum dolore pectus &c.; & ſic accede, & videbis, quàm bene tibi res ſuccedet. Cave autem peccata venialia de præſenti, & actualia; hæc enim ſunt damnifera.

11. *Sponſa.* Bonum conſilium, dignum ſanè omni acceptione; quoties enim probavi, toties mihi proficuum ſenſi. Hoc unum non capio, quid ſit veniale actuale ſeu de præſentii, & quid veniale de præterito.

12. *Sponſus.* Dico tibi ſine mora, Sponſa mea! veniale de præterito eſſe, quod v. g. herì, vel etiam hodie ante S. Communionem commiſiſti. Veniale de præſenti eſt, de quo habes actualem intentionem, & voluntatem hìc & nunc committendi illud, v. g. dicendi mendacium, texendi vanum diſcurſum, & ſimilia,

lia, ſi ſunt etiamnum recenti adhuc in conſcientia tua, nec per dolorem retractata. Verum quidem eſt, quòd non impediant gratiam habitualem, nec illius augmentum: impediunt tamen actualem, id quod eſt damnum non modicum. Inſuper erit & audacia grandis, & defectus reverentiæ, timoríſque filialis non modicus. Hanc igitur ob cauſam, & ob talem circumſtantiam noli frequentare menſam meam: diſplicet enim valde hæc præſumptio. De præteritis autem fac, ſicut dixi, & noli aurem præbere aliis opinionum turbis, alioquin ſenties cum quietis, pacíſque internæ diſpendio continuas ſpinarum iſtarum puncturas, perdéſque unà cum gratiæ, ac *perfectionis* incremento plures ſacras Communiones.

1) 1. ad Cor. 11. 29.

TERTIA SPINARUM CLASSIS.

De afflictione animæ, quando de exercitiis vitæ contemplativæ trahitur ad occupationes, & exercitia vitæ activæ, & qualiter ſe debeat habere in illis.

13. *Sponſus.* Poſtquam actum eſt de ſpinis, interturbantibus pacem animi, & quie-

quietem recefsûs tui, ad alias jam digredior, nempe ad multiplicem afflictionem, quam fustines ingemiscens, te toties transferri de via, & vita contemplativa ad vitam laboriosam, & activam. Ex his spinis germinantur aliæ atque aliæ, dubia videlicet diversa, num hæc sentimenta, & afflictiones sint malæ, sint imperfectiones, nec ne? verùmtamen non adeò te torquerent, si recogitares ad toties dicta, & repetita, nempe ad contemplativam, tua stare debere desideria; ad activam autem, ejúsque negotia, & incommoda aliud remedium non est, quàm patientia. Pulchritudo Rachaëlis, & otium Mariæ [uti adverto] magìs arriderent tibi, quàm Mandragoræ lippientis illius Liæ; & non abs re; majoris namque meriti est contemplatio, quàm actio: bene ergo, & laudabiliter ex parte facis, huic illam præferendo.

14. Attamen, licèt hæc ita se habeant, potest nihilominùs sese quandóque offerre casus, ubi actio melior est, quàm contemplatio. Hoc verò tunc solùm, quandò vel charitas, vel obedientia, vel etiam necessitas ad tempus te occupant in exter-

externis. Sed ecce opportunum in arena consilium. In mediis occupationibus externis noli oblivisci [quantùm possibile est] præsentiæ Dei, & contemplationis. Hoc facto, anima non tantùm occupatur in vita contemplativa, quæ solummodò pars est vitæ Christianæ, nec tantùm in activa, quæ altera pars est, sed in tota quanta ex utraque composita; totum autem semper melius est quâvis suarum partium.

15. Hinc debuisses dudum notâsse, quòd ego non dixerim, Maria totam elegit vitam Christianam, sed meliorem, ex hac tota, partem, quæ utique est contemplatio; quoniam ex duobus bonis semper melius eligendum est, quando utrumque simul haberi non potest, prout in te etiamnum contingit, quæ non adeò adulta existis in virtute.

16. Exceptis dictis casibus obedientiæ, charitatis, ac necessitatis, pro tua parte semper melius est, insistere vitæ contemplativæ, quàm activæ. Ideóque suadeo tibi, ut illi te addicere velis, quantum tibi possibile erit, nisi una ex dictis rationibus obstet, quâ præsente vim tibi inferas, contemplationem eo, quo dictum, modo

modo nonnihil ſeponas; nam ſecûs faciens, non parùm te perdere ſcias.

17. *Sponſa.* Non poteſt niſi optima eſſe hæc Domini mei doctrina: jam informari obſecro de illa afflictione, quæ irruit in me, quoties aliquid occurrit, quod me in contemplatione mea impedit: quia verò inſuper hoc intimè ſentio, ideò rogo, an hoc laudabile, an vituperabile, an bonum, vel malum ſit? præſertim, quia ſæpe de novo affligor ex eo, quòd afflicta ſum ex timore, & ſuſpicione, ne fortè & ipſiſſima hæc afflictio ſit defectus mortificationis, & perfectionis.

18. *Sponſus.* valdè oculata, & arguta es in rebus tuis, Sponſa mea, id quod mihi non parùm placet de te. Aſſecuro te igitur, non malam, ſed bonam eſſe hujuſmodi afflictionem, & triſtitiam; ratio eſt, quia ſimilis actus obedientiæ, mortificationis, & patientiæ toties exercitat ſervos meos, quoties de contemplatione transferuntur ad actionem. Scio utique, Novitios in ſpiritu, & incipientes [quorum & tu auges numerum] talem privationem ægerrimè, gravitérque ſuſtinere, quod proficientes parùm ſentiunt;

per-

perfecti autem insuper gaudent, quasi in favum mellis offendissent. Inter hæc primum sentimentum bonum est, utpote signum animæ ad meliora affectionatæ, quale est contemplatio respectu actionis. Secundum verò meliùs est, si cum discretione fiat, cujus est attendere ad circum, stantias, & accurrere juxtà rerum exigentias, tertium verò præripit cæteris palmam, quia sibi complacere, & in similibus gaudere superlativum meretur, tanquam evidens nota veræ perfectionis, exequendo semper id, quod meliùs, & convenientiùs judicatur. Exemplum habes in Matre mea & ejus festinatione 1], ipsa lætanter charitati posthabuitdulcissimam suam solitudinem, & altissimam contemplationem. Quandò non solùm visitavit, sed & tanto tempore inserviit Cognatæ suæ Eli abeth.

19. *Sponsa.* Quantum intellexi, prout & jam sæpiùs mihi inculcasti, ista afflictio, iste dolor, hæc tristitia non fuêre mala, sed bona in me. Verùm, est ne meliùs carere quàm habere ? & adhuc meliùs, de illis gaudere?

20. *Sponſus.* Verùm eſt, me tibi frequenter unum dixiſſe, & alterum tacuiſſe, quia non poteras portare, nolui tibi ante tempus revelare. Novi utique deſideria tua, novi quanto ſpiritu anheles ad perfectionem, & hoc ipſum in cauſa fuit, ut illa te celarem, nolens augere triſtitiam tuam, ne augeretur ampliùs, ſed ſine effectu, deſiderium tuum; ſoror enim parvula adhuc eras, & junior in ſchola mea, cui non profuiſſet intenſior triſtitia, quæ nihil aliud eſt, quàm deſiderium ſine ſatisfactione, quia non impletum. Modò autem dolor iſte eſt de importantia non exigua, ſaltem ad hoc, ut ad declinandum illum, ferventiùs inſiſtas contemplationi, receſſui, & recollectioni: in hìs volo, ut firmum ac ſtabile jacias fundamentum. Ex hoc enim fine vocata es ad S. Religionem. Id quod non aſſequeris absque illo dolore, ſine quo exceſſivè occupationibus externis, & vitæ activæ indulſiſſes, non ſine præjudicio vitæ contemplativæ & diſpendio.

21. Jam ſupereſt, ut ipſiſſimum hunc dolorem & triſtitiam [quoad auferatur â te] permagni facias, cum omni patientia

tientia illam ſupportando. Quia juvat & impellit te ad altiorem contemplationem, quæ tenera ſatis adhuc in te. Poſtquam autem videro, ipſam altiores radices ac firmam fixiſſe ſedem, tunc reducam te ad vitam activam absque eo, quod perdas contemplativam. Et tunc cum gaudio & lætitia multa exercebis illam. Qualem experta eſt Mater mea in viſitationis ſuæ labore, ac diuturno, eóque ſedulo ſuæ cognatæ ſervitio.

22. Eja igitur, proſequere aſſiduè pretioſum contemplationis ſtudium: ſupporta cum omni ſufferentia tædium ac dolorem, quem impedimenta, te ab illa avertentia ac turbantia, cauſant. Cætera omnia meæ commite curæ, ego adducam tempus, in quo omnis dolor & triſtitia convertentur in gaudium, ac perpetuum Alleluja.

23. Ne autem vita activa moleſta tibi nimìs accidat, activa inquam, conſiſtens in operibus miſericordiæ, neque ex averſione te in illa â me occupari exiſtimes, propterea invigilabo, ut modò in Infirmaria, aut in Coquina, vel in Portaria, vel in Sacriſtia occuperis. Hoc tamen ad tuum aliquale addam ſolatium,

quòd scilicet maximum contemplationis quietísque impedimentum non nisi amor proprius sit, & immortificatæ passiones tuæ, quæ mortificandæ restant per vitam activam, postquam autem fuerint satis mortificatæ, tunc magìs libera, & vivax evadet contemplatio tua. Interim Martha ut bona Soror, suam adjuvabit Mariam.

24. *Sponsa.* O quàm gustosa est palato meo hæc, Sponse dilectissime, lectio tua! Ecce me totam paratam ad quævis vitæ activæ [quam ex nunc desidero, & amo] incommoda & exercitia.

25. *Sponsus.* Jam iterum excedis; nescis, quia omne, quod est nimium, vertitur in vitium. Ideóque in sensu meo, non tuo dicta accipias. Omnia tempus habent, ad opportunitatem temporis in omnibus te volo attendere. Si enim ego sic facio, quanto magìs te hoc facere convenit. Sit ergò tibi pro regula generali, maneas solitaria in cella tua, die ac nocte occupata in contemplatione, juxtà præscriptum Regulæ tuæ, nisi justa causa indè avoceris. Hæc autem non est alia, nisi charitas, obedientia, vel necessitas. Nolo autem constituere te judicem super hæc, sed

ſed hoc ſoli Confeſſario, vel Superiori tuo competit. Ipſorum eſt, diſcernere inter neceſſitatem & neceſſitatem; non enim quælibet imaginaria, aut quàm tuum excogitat capricium, ſufficiens titulus eſt, interrumpendi recollectionem tuam. Hæc obſervando, ſatisfacies duplici obligationi. Ibúntque ſuaviter ſemper aſſociatæ contemplatio & actio, quaſi Germanæ Sorores cum multo proventu tuo, & magna gloria mea.

1). Luc. 2. 39.

QUARTA SPINARUM CLASSIS.

De gravi tribulatione animæ ob abſentiam dilectiſſimi Sponſi ſui, quem erroneè credit, neſcio quantùm, diſtare â ſe, nec ſua contemplatione Illum attingere poſſe, & de remediis contrà illam, quæ ſunt humilitas, & reſignatio.

26. *Sponſus*. Sicut vehementer deſidero terram cordis tui purgatam ac immunem de præcedentibus ſpinis. Ita repletam, imò & vulneratam de præſentibûs. Iſtæ, ô filia! ſunt rectiſſima, ſecuriſſima, ac breviſſima ſemita; ſunt via regia, via compendii, & non eſt altera huic

huic ſimilis, ductrix eſt fideliſſima ad optatam perfectionem. Intellige. Contingit enim non raro, quòd anima ad ſeipſam converſa, videatur ſibi tota quanta ſolitaria & ſeparata, privatáque omni actuali & amoroſa contemplatione ſeu præſentia dilectiſſimi Sponſi ſui, quo adeò ſenſibili, adeò vivo, penetrante, ac intenſo ſauciatur dolore, quòd exiſtimet ſe de facto vivere in inferno. Ubi ſumma & prima pæna nequaquam eſt pæna ſensûs, ſed pæna damni, ſive ſeparatio totalis & amariſſima â me ſummo Bono. Et ipſiſſimo hoc medio diſponitur anima ad recipiendam majorum gratiarum abundantiam, ſicut illæ purgatorii purificantur, ad majorem gloriam. Nonne jam probaſti, quàm immenſum & ineffabile ſimilis dolor accendat in te deſiderium gratiæ ac præſentiæ meæ? Quod, quô majus, eò & meliùs. Nam Beati 1), qui ſiti gratiæ meæ æſtuant & ardent, quoniam ſaturabuntur.

27. Ut autem ampliùs creſcat in te ejuſmodi deſiderium, ſimulo me non audire te, dando repulſas ſuper repulſas, quaſi alteri Chananeæ. Ita ut in ſententiam abeas, te â gratia mea penitùs eſſe de-

derelictam. Unde fit, quòd demergaris in abysso summæ tristitiæ, inopísque omnis consilii nescias, quid facias? præcipitare te in desperationem non audes, quia omnem, vel minimam, offensam mei maximè horres, & copiam mei assequi non vales, quoniam tenebræ obnubliant Solem, Luménque tuum. Quod modò remedium contrà istas intollerabiles spinarum plagas? Non est aliud, nisi ut humilis te, agnoscásque vilitatem, ac defectum meritorum tuorum, resignando voluntatem tuam per omnia in meam, sustinendi hoc tormenti genus per omnem vitam totámque æternitatem, si dulcissimæ dispositioni meæ ita placuerit. Et hoc est, quod unicè desidero, & amo in te. Scis utique, si generosè sustines, abnegando te, ac resignando beneplacito voluntatis meæ, scis, qualiter subitò, ac momentô citiùs immersam [sed quomodo ignaram] te sæpè videas in abysso divinitatis meæ, ita ut quasi nihil ampliùs invenias de te.

28. *Sponsa.* Domine, & Sponse mi dilectissime, optimè declarasti id, quod multoties contingit in me, nescivit anima

mea viam hanc adeò cælestem, & sublimem, tibi tam gloriosam, mihi autem adeò esse proficuam. Fiat semper, quod bonum est in oculis tuis, mihi interim satis est nosse per te, qualiter in futurum, quo ad similes casus me habere debeam.

1. Matth. 5. 6.

QUINTA SPINARUM CLASSIS.

De mortalibus angustiis & anxietatibus animæ ampliùs cognoscendi, gaudendi, & fruendi summo Bono. Quod quia ad plenum non datur, consumit se, & consummatur. Finaliter reducuntur ad quatuor puncta, quæ toto hocce Soliloquio disputata sunt.

29. *Sponsus.* Spiritus meus, ô filia mea, ineffabiliter exultat, videns tam bonum sortiri successum omnia illa, quæ placent in conspectu meo. Propătereà ampliùs penetrabo intereriora tua, ibíque tibi revelabo aliam spinarum speciem prioribus non minùs pretiosam & spiritualem. Sunt autem illæ [si bene reflectis] mortales quædam angustiæ & anxietates intelligendi, gaudendi, fruendíque semper magìs magìsque, quàm hactenus experta

es,

es, Dilectô tuo. Imò in tantum intenduntur ejusmodi gloriosæ, ac dulcissimè pœnosæ agoniæ essendi mecum, & videndi faciem meam, ut in ultimo mortis articulo te constitutam, continuóque exanimandam [sicuti nuper factum est] tibi videaris. Ecce Ego ipse sum, qui promoveo hanc pænam, flammas addendo flammis; gaudens ultrà modum, te videre sic pugnantem, & tamen non vincentem, utì velles.

30. Sed niteris in vetitum, Filia mea. Nam nosse te oportet, nulli mortalium de lege ordinaria concessum, videndi Essentiam meam prout est in se, absque dispendio vitæ. Et hoc responsum retulêre olim similia, Moysis servi mei, vota 1], siquidem tanta, támque ineffabilis est majestas & gloria, ut cor humanum ferendo gaudio tam excessivo usque quaque impar, primo in affectu dissiliret, vitámque unà cum gaudio terminaret. Attamen jam audio & video cor tuum & cogitationes tuas, dicentes: O me felicem, si talis sors, ac tam beata mors contingeret! & certè ita res se habet; ast Ego aliter & suaviter omnia dispono, Méque per figuras ac supernaturales animæ [quam dili-

gentem diligo] monſtro ſimilitudines. Quæ ineſſe repræſentativo me totum minimè repræſentant. Ego enim ſum, qui ſum, infinito exceſſu major omnibûs illis ſimul ſumptis. Has ego mediante fide & gratia mea pono in anima, adeò admirabiles & divinas, ut per ea ſatis cognoſcere valeat me infinitè ſuavem, bonum, ſpecioſum, æternum, glorioſum, omnipotentem, omniáque replentem. Tunc cognoſcit anima me lumen ſuper omne lumen, omnibus præſentiſſimum, eſſentiam ſuper omnem eſſentiam, omnia in ſuo eſſe conſervantem ac gubernantem; cognoſcit denique me Pelagus infinitarum perfectionum in infinitum perfectarum. Hæ ſunt notiones, quæ cauſant in Sanctis meis raptus, ſuspenſiones, & recollectiones, quorum aliquo modo & tu ipſa teſtis es, quæ tantò magìs cauſant, quanto ampliùs & perfectiùs in illis reſplendeo, ita, aut ipſimet non poſſint comprehendere, quid, vel quantum ſit, aut qualiter intelligant. Hoc ſolùm agnoſcentes, quòd ſi id, quòd patiuntur & cognoſcunt, ſine careret, vitam æternam de facto ſe ſe jam poſſidere exiſtimarent. Quia in hac clara obſcu-

obscuritate ac resplendente ignorantia anima elevatur ad suavissimam cæleſtémque admirationem, videns se intelligere non intelligendo, quod novas illi addit faces ampliùs aspirandi ad ineſtabilem lucem & infinitam majeſtatem meam, atque in illius fruitione dulcissima diutiùs perseverandi.

31. Cæterùm, hæc eſt conditio humani intellectûs, quòd, poſtquam aliquam rem satis cognovit, relinquat eam, si minùs; inhæret illi tenaciter, scrutando, donec penetret eam. Igitur, sicut delitiæ meæ sunt, esse, & habitare cum filiis hominum 2]. Sic non cesso me illis multipliciter manifeſtare, ac allicere, ut cum perseverantia sequantur veſtigia mea. Non abs re me legis apud servum meum Job, *verbum absconditum* 3]. Verbum quidem, quia me ipsis patefacio ac explico; absconditum verò, quia finem explicandi me, non facio, hunc sensum etiam habent verba Evangeliſtæ mei 4]. Quando scribit, *& lux in tenebris lucet.* Etiam Propheta Isaias me nominat 5], *Deum absconditum.* Solemne enim mihi eſt attendere Sponsam meam per fissuras & rimas,

mas, per cancellos & feneſtras. Quatenus & ipſa ex parte me videat, & ex parte non videat, sícque magìs acuatur in ea deſiderium videndi, & poſſidendi me; dum detinet ſe coram me, laborando, qualiter videat me. Ego indulgeo ei quandóque aliqualem ſatietatem, ſed talem, ut ſemper appetitus maneat ad majorem. Itaque major fames eſt cauſa majoris ſatietatis, & major ſatietas cauſa majoris famis. Prout ſcriptum eſt 5]: *Qui edunt me, adhuc eſurient, & qui bibunt, adhuc ſitient*. Et tali modo hæc rota in perpetuo verſatur gyro, anima quidem eſſuriendo & ſitiendo me, & ego impiendo ventrem inſatiabilem deſideriorum ejus. Ita tamen ut ſemper ſuperſit infinita abundantia fruendi, quia ſemper ſupereſt infinita Majeſtas, & Eſſentia illam adimplendi.

32. Hunc meum procedendi modum ſatis bene comprehendit magnus ille Job, amicus meus 6]. Quòd ſcilicet emolumentum, grande importet iſta ſucceſſiva communicatio mei ad animam, quodque me totum ſimul & ſemel ei non concedam; unde hoc exercitium cujusvis alteri

modo orandi, commerciúmque mecum habendi anteposuit, dicendo *suspendium elegit anima mea.* Id quod significat famelicam quandam satietatem, lucem obscuram, gaudiúmque insatiabile. Attende ad Prophetam Regium 7]. Qui me nunquam non præsentem habebat, & tamen semper quærebat. Et sic erat ex parte ut gaudens, ex altera verò ut carens, seu non cognoscens. Quia nemo quærit, quod jam habet. Et ideò erat juge illius exercitium partiale possessionis gaudium, atque juge me quærendi, & ampliùs inveniendi desiderium. Et talem Ego optarem Sponsa mea vitam tuam, & hanc esse occupationem tuam.

33. *Sponsa.* Non bene sapio, nec satis capio Domine, quommodo anima possit amare, quod ignorat, aut intellectus intelligere, quod ipsi per modum objecti non obviat? quia quod non videt, habet se apud ipsum, quasi non esset.

34. *Sponsus.* Hoc ipsum est, ob quod Princeps Apostolorum toties in admiratione multa involutum se sensit 8). Sed sola nobilissima fidei virtus hanc obscuritatem enodare novit, illa reddit in-

tel-

tellectui præſens ipſum ens, quod eſt ſuper omne ens; & voluntati ſummum Bonum, quod eſt ſuprà omne Bonum, & ita quidem, ut hoc poſſit amare, & illud intelligere. Et quid amabo agit Philoſophus, qui ſcrutandæ cuidam veritati multùmque diúque inhiat? cui toto illo tempore ejus innititur? Niſi deſiderio, ſpeique, tandem aſſequendi illam. Sic res ſe habet cum anima cognoſcente & amante me ſummam veritatem, & infinitam bonitatem. Deſiderat, inhiat, aſpirat, uſque quo carcere ſoluta, mediante gratia mea, non ampliùs guttatim, ſed quaſi pleno Oceano totaliter immerſa, plena ſatietate me facie ad faciem fruatur.

35. *Sponſa.* Suprà modum me contentat, Sponſe amandiſſe, revelatio ac declaratio ſpinarum mearum. Bene apparet, quòd ames me. Quoniam per temetipſum dignaris ancillam tuam inſtruere, quaſi alteram Samaritanam, licet illâ multò pejorem 9]. Quandoquidem ergò tantum mei amore feciſti, placeat quæſo tibi dicta jam omnia hactenus recapitulare, & in unam ſummam paucis redigere, poſtquàm unum hoc mihi ſolveris dubium. Qua

ra-

ratione ſcilicet me habere debeam inter mortales illas cordis oppreſſiones & anxietates tecum eſſendi, te ampliùs videndi, ac fruendi, quales nuper perpeſſa ſum. Ut ſciam quibus modîs, redeuntibus eisdem obviare impoſterum debeam.

36. *Sponſus*. Et quando tandem tu addiſces communia documenta particularibus eventibus applicare? Inſpice primum ſoliloquium, ibi petitioni tuæ tam ſatis factum invenies. Ibi dictum, cauſam anxietatum iſtarum eſſe cognitionem lucémque accendentem, ſtimulantémque deſideria tua poſſidendi me. Et hæc conſervare & augere debuiſſes totis viribûs, applicando intellectum quidem perfectæ cognitioni illorum, quæ tibi manifeſtavi, voluntatem autem amori & dulci complacentiæ eorum, quæ intellectus proponebat, gaudendo identidem propoſſe, & pauſando in eisdem, ſubortísque exinde cordis affectibus debuiſſes dediſſe locum, absque ſignis tamen externis, & exceſſivi s clamandi, gemendi, & plorandi &c.: qui a hæc in publico non conveniunt plùs quidem tibi licet in ſimilibus, ſi fueris tecum & ſola, cavendo tamen, ne plùs æqui

fræna

fræna làxando, noceas capiti & sanitati.

37. Nota tamen, in dictis casibus non esse semper consultum retinere multa vi sensibilem devotionem, quia non minùs damni tibi facis valdè refrænando, quàm relaxando. In utroque attendas, ne quid nimìs. Igitur ex toto nunquam eam suffocabis, neque ex toto dominari patieris; memor esto, illam â te non esse procuratam, sed â me tibi gratiosè donatam; nulla proinde est ratio vel abutendi, vel penitùs recusandi illam. Jam audisti in secundo soliloquio, sensibilem devotionem [maximè si originem ex me trahat absque tua industria] non solùm non obesse, sed multùm quoque prodesse, si tamen sit moderata. Erit autem, si ad extrema non declinet; licet quandoque [me ita disponente] illa declinare non poteris. Rationem autem hujus nolo exigas, sed potiùs te usque quaque humilies, & patienter sustineas, aversando excessum omnem quantum tibi possibile. Quod si nil tali modo proficis, scias nullum subesse peccatum, sed potiùs grandè bonum, videlicet sustinere & pati. Sed

de

de his ſatis. Jam epilogabo tibi juxtà vota tua omnia præcedentia ſoliloquia.

38. In primis tibi dixi puritatem animæ rem eſſe valdè pretioſam, & prorsùs admirabilem, ſed tamen cum moderamine, nec nimia curâ appetendam erroneè imaginando, quaſi illa quibusvis minutiîs deperdatur. Et, quòd ſi aliquam culpam committas, materiam inde majoris humilitatis, & non exceſſivæ afflictionis deſumas, utpote quæ plùs tibi nocet, quàm omnes illi leviſſimi defectus, quos inter minimus minimè eſt, non velle acquieſcere Patri tuo ſpirituali, ideóque nec mihi in ipſo. Obedientia, obedientia filia mea eſt, quàm tibi commendo.

39. Poſthæc audiſti, vitam contemplativam, ejúsque exercitia præferenda eſſe vitæ activæ; cum exceptione tamen; niſi obedientia, charitas, ac neceſſitas aliud exigat. Quia tunc contemplatio cedere debet, & quaſi major ſervire minori. Sed hoc cum grano ſolis intellige, ne ex tuo genio fingas voluntarias occupationes, inſuper ne in mediis negotiis, etiam juſtis, contemplationis & præſentiæ Dei obliviſcaris.

40. Tertio tibi ſuaſi frequentem S. Communionem, ſed nonniſi ex licentia & mandato ejus, cui cura incumbit animæ tuæ, & cum hac conditione, ut tua te conſcientia non accuſet peccati venialis de præſenti, ſive actualis. Illa autem, quæ de præterito ſunt, & jam per dicta remedia abolita, non eſſe obſtaculo, quo minùs quis recipiat, mediante hoc Sacramento, omnem gratiam, quam ſoleo dignè accedentibus communicare.

41. Quarto clarè oſtendi, pœnam illam, quam ſentis ob meam abſentiam, viam eſſe rectam & regiam citò pertingendi ad dulciſſimam præſentiam meam. Si tamen mortificando ad plenum reſignas in meam voluntatem, abnegando tuam, parata hæc ſuſtinendi, quamdiu mihi placuerit, etiam per omnem æternitatem. Aſt hic occurrit, quod ſpecialiter moneam, quod tibi bene velim imprimas, & eſt, me nonnunquam relinquere animam ſolitariam, non ex quadam ejus culpa, ſed probandi gratia ejus humilitatem, reſignationem atque patientiam, & tunc oportet cum gaudio & libenter te ex toto corde ordinationi meæ ſubjicere, & uſque huc

po-

poteſt perfecta reſignatio & mortificatio pertingere. Dantur quidem vices omninò, ubi culpæ & negligentiæ tuæ nos ab invicem ſeparant, nolo tamen ob illas te deſerere, bene gnarus fragilitatis & infirmitatis tuæ. 10]. Interim tuum eſt ex una parte culpam admiſſam lugere per actus doloris, ex altera abſentiæ pænam æquanimiter ferre per actus amoris. Agnoſcendo, & confitendo te ſemper indignam viſitationis meæ ob demerita tua. O ſi hæc adimpleres chariſſima mea, quantum profectum facere in ipſa perfectione, & quàm continua eáque ſuaviſſima pace gaudere poſſes.

42. Ultimò docui, te plurimùm appretiare anxietates & vota intenſiſſima ſemper magìs magìsque amandi, & cognoſcendi me, quàm de facto me amas ac cognoſcis, perſuadendo tibi, infinities plura ſupereſſe, quæ cognoſcas & ames. Denique noli te multùm cruciare ex eo, quòd non poſſis, uti vis, te manifeſtare Patri tuo ſpirituali, cui jam conſtat te incaſſum ex hac ratione affligi, cum neque te ipſam intelligas, ne facere poſſis, ut alius te intelligat. Per hoc tamen non

ſuggero, ut claudas cor tuum, & labia tua, & abſcondas ab eo, quæ ſentis interna ſenſa tua, ſed ut non nimiùm contriſteris, ſi illa non poſſis ei revelare, quia ad hoc non deeſt tibi velle, ſed magìs poſſe. Et hoc ipſum dat mihi guſtum & inſigne gaudium. Sit gratia mea ſemper tecum, qua valeas ergà me illud nunquam non continuare.

1). Job. 4. 12. 2). Joan. 1. 5. 3). Iſa. 45. 15. 4). Cant. 2. 9. 5). Eccl. 24. 29. 6). Job. 7. 29. 7). Pſ. 15. 8. 8). 1. Pet. 1. Matth. 9). 1. Joan. 4. per tot. 10). Pſ. 102. 13.

SOLILOQUIUM V.

De paſſionibus animæ, quid illæ nobis obeſſe vel prodeſſe poſſint in via & exercitio orationis: & in quo conſiſtat pulchritudo animæ.

1. *Sponſa.*

SAtis ſupérquè, Sponſe mi dilectiſſime, deſcripſiſti; imò ad oculum quaſi oſtendiſti ſpinas affligentes animam meam. Sed qualiter vehemens deſiderium ad puritatem, tibi aliàs gratiſſimam, triſtitia ob in-

intermiſſam contemplationem ; quàm Ipſemet in Magdalena tua laudaſti & approbaſti : dolórque amariſſimæ abſentiæ tuæ, quam Sancti tui pro altero reputârunt Inferno : Denique anxietas ampliùs ſemper cognoſcendi, ac amandi te, juxtà præceptum tuum, qualiter hæc nociva & impeditiva quietis pacísque meæ eſſe poſſint non penetro, non capio.

2. *Sponſus.* Iterùm ad primum te remitto ſoliloquium. Profectò ſi bene legiſſes, ac relegiſſes, inveniſſes utique detectam omnem ſpinarum tuarum rationem. Sed fortè dicta de gaudio & triſtitia ſpirituali ac ſenſibili neſcis applicare aliis paſſionibus & appetitibus non minùs damniferis, quæ occupant terram cordis tui in copia.

3. Igitur aures præbe, & bene, quæ dico, cordi tuo imprime, gaudium ſcilicet de bono præſenti, ac triſtitiam de malo præſenti ; ſimiliter amorem & complacentiam de bono, tædium ſeu horrorem de malo illi contrario; deſiderium obtinendi bonum, fugámque, ſive deteſtationem mali oppoſitam; ſpem aſſequendi bonum arduum ; & diffidentiam, imò deſpe-

rationem ad illud pertingendi ; animositatem ac audaciam aggrediendi difficilia, timorem declinantem ac fugientem illa; denique iram vindicandi malum illatum, non esse, nisi totidem passiones in anima tua.

4. Istæ passiones sicuti, si fuerint mortificatæ ac subjugatæ per rationem, conferunt ad bonum, si verò tanquam rebelles recalcitrant, vel omnes, vel quælibet seorsim, sunt in statu totam animæ turbandi rempublicam, hinc licet inferre, quòd sicut gaudium sensibile excessivum exorbitat in risum, & inordinata tristitia in desperationem. Eodem modo effrœnata desideria ergà bonum, similísque fuga de malo, auferunt ab anima omnem requiem & pacem.

5. *Sponsa.* Optimè ut Magister bonus me informas, docésque dari desiderium, aliud purè sensibile, & aliud, purè spirituale, illúdque modificatione & mortificatione indigere, hoc autem minimè. Similiter & fugam sensibilem, fugámque spiritualem : eodémque modò de spe & desperatione, de ira, de amore, & odio mihi esse ratiotinandum ; scilicet quæ sunt sensibi-

ſibiiia & ſenſualia cadere ſub directione & moderamine, quæ autem ſpiritualia, frænô & diſciplinâ nullatenus indigere.

6. *Sponſus.* Tandem aliquandò veritates iſtas oculîs vides, & manibûs palpas. Sed ſcias inſuper, quandò mihi, vel Angelis meis attribuitur ira, odium, fuga, deſiderium, audacia & ſimilia, hæc non eſſe quid ſenſibile, minùs ſenſuale, ſed purè ſpirituale. Quoniam ſpiritus ſicut corpore, ſic ſenſibus & paſſione caret. Sed per hæc denotatur actus ſimpliciſſimus divinæ voluntatis meæ infinitè diſtans ab omni paſſione & alteratione, quantumvis ex effectibus ad extrà videatur rudioribus contrarium. Quoniam ſicut iratus ſe ſe vindicat modò verbîs, modò verberibûs de hoſte & adverſario ſuo, ſic ego caſtigans plecto malos & peccatores, ſine ulla tamen paſſione iræ, ſed ſimpliciſſima & glorioſa ſemper voluntate mea. Et tunc dicor à vobis plenus irâ, odio & indignatione. Idipſum ſuccedit ſuo modò in Angelis, imò & in vobis ipſis, quandò videlicet rationalis appetitus [qui eſt recta voluntas] cum excluſione ſenſitivi haſce producit actiones.

 Quia

Quia & vester spiritus est in operando, si velit, liber & exemptus ab appetitu sensitivo, Et ex hac ratione provenit, quòd dæmones non possint penetrare illius cogitationes vel determinationes, nisi tangendo pulsum arteriæ partis sensitivæ, expiscando astutè, nam ibidem se se insinuent indicia actûs interni alicujus & spiritualis: In hoc imitando Medicum, ex pulsu venæ argumentum vel sanitatis, vel certè infirmitatis cruentem.

7. Ecce sic studet ille versipellis deprehendere, quid lateat in homine: in ipso namque dantur gaudium, tristitia, desiderium, spes, & timor, spirituales certè, quia in silentio sine strepitu partis sensitivæ nascuntur ex cognitione boni vel mali. Dantur vicissim & alii motus redundantes vel ex voluntate, vel ex alia naturali vel supernaturali causa in appetitu sensitivo, uti sunt amor, odium, tristitia, gaudium, audacia, timor, & aliæque affectiones, motúsque sensitivi, camo & fræno indigentes, sine quibus non continebuntur in officio, sed susdeque vertent omnem quietem ac pacem, totámque animam excæcabunt. Et hoc etiam in te

ac-

accidit, quoties exceſſivo ac ſenſibili pruritu niteris eſſe nimiùm pura. Hæc imprime tibi cum magno notabene. Iſta ſiquidem ſunt, quæ tam malos generant effectus, quandò non contentaris cum illis, quæ ſunt in centro voluntatis tuæ, ſed cupis etiam ſentire per omnia in tuo appetitu ſenſitivo. Quin imò jam eo devenisti ut neque motus primo, primos velis ſuſtinere, qui tamen de tuo non dependent arbitrio. Putas enim erroneè illis, ſi ſentis, continuò maculari animam tuam; abſit, abſit, nunquam nocet ſenſus, ſi non accedat conſenſus. Ubi eſt diſplicentia & horror, non debet eſſe talis timor, ſed potiùs patientia; hæc ſi adſint nulla ratione maculatur, ſed ſemper magìs magìsque purificatur quaſi aurum anima tua.

8. Ceſſa jam â quæſtionibus, Filia, Soror, & Sponſa mea, quia clarè ſatis jam patent omnia. Nam dictæ ſenſitivæ paſſiones de tuo, non de meo accenſæ amore, te turbant, ſtimulant, ac inquietant, auferentes pacem, quàm uſque adeò æſtimas, non tamen ſicut ego, qui amo & deſidero, ſed ſine ulla ſenſûs paſſione.

9. Ah! quanta eſt inconvenientia? quòd me perſeverante quieto in anima tua, tu uſque adeò turberis, quandò in S. Communione aliisque exercitiis non ſentis ſolitam devotionem. Scias hæc pullulare ex paſſione amoris, triſtitiæ, & appetitûs ſenſitivi. Fac tandem efficax præpoſitum, te non ampliùs per viam appetitûs ſenſitivi, amorísque proprii, ſive carnis, ſed per viam rationis ac ſpiritûs te velle incedere, quaſi ſpiritus, non quaſi caro, regîque impoſterum per me, & non per te.

10. Reflecte ſuper præteritas inimici tui aſtutias, qualiter te olim exagitavit & anguſtiavit vanis umbris, & phantaſticis repræſentationibus in die S. Communio- Expoſtfacto autem, quàmprimum refecta eras pabulô Euchariſtico, continuò evanuêre cuncta machinamenta diabolica. Modò autem in ipſo acceſſu te variè vexat, ubi verô anima tua mihi conjuncta eſt, tota recollecta, tranquilla, ac immunis manet.

11. Vide filia, totum ipſius intentum, tam ante, quàm in actuali communione eſt, per ſimiles anxietates deterrendi te

â

â frequentando hoc S. S. Sacramento, privandíque multiplici fructu ejus. Ego autem in mediis turbationibus te probo, ut videam, num habes veram orationem? num communices ex motivo mei, an potiùs tui amoris. Insuper est meum intentum, mortificandi gustum tuum, ac appetitum sensitivum, téque spiritualizandi, ut in agendis omnibus, nequaquam tuo, sed purè meo moveâre spiritu; nihil ex suggestione carnis; nihil agendo, quia sensuale; nec ob sensibilem dulcedinem vel delectationem.

12. Manet ergò, amorem, desiderium, tristitiam, timorémque (si spiritales sint) causare pacem, & quietem; Sin veró, generabunt molestias & perturbationes. Estne possibile, quòd non velis assuescere, & induere amorem, atque tristitiam spiritualem absque eo, quod sensus, vel aliquid sensibile habeat partem? averti te oportet â sensibilibus omnibus, sine conversione ad illa, & distinguere, quandò affectiones tuæ, motiones, passionésque sint spiritales, & quandò sensitivi, & carnales.

13. Adhuc semel, quia tanti interest, dicta

dicta repetam. Tunc ſunt ſpirituales, quandò ex cognitione boni, vel mali efficaciter movetur voluntas ad volitionem, vel nolitionem boni vel mali, ſenſitivæ autem erunt, quandò ex hoc velle, vel nolle naſcitur in corde, vel ſenſibus aliqua lætitia, ſive triſtitia, per quæ conſtringitur, vel dilatatur cor ita, ut ad riſum, aut planctum moveatur. A corde autem communicantur iſta omnibus ſenſibus. Hæc nonunquam â me auferuntur, probandi aut mortificandi causâ. Nonunquam autem dantur, favoris ac conſolationis tam internæ quàm externæ gratiâ. Juxtà teſtimonium Prophetæ 1). *cor meum, & caro mea* (ſive ſenſus mei) *exultaverunt in Deum vivum.* Ut ad modicum mediantibûs illis me videant, me ſervi mei, ad modicum non me videant.

14. Hæc omnia eo fine dicta ſint, ut tibi in occaſionibus ſerviant & conducant, fiet autem indubitanter, ſi ad primum ſoliloquium bene reflectas. Ubi audiſti gaudium ſpirituale (cum ſit valdè bonum,) non exigere modum, aut limitationem, ſolúmque ſenſitivum indigere ſimilibus cautelîs? quibus deficientibus non poſſunt

niſi

nisi perniciosa esse. Idem intellige de omnibus aliis & sensitivis & spiritualibus affectionibus, & passionibus. Ratio est, quia purus actus spiritualis voluntatis quantô intensior est, resolutiórque in velle bonum, & nolle malum, tantô & melior est. Sed sensitivum velle, ac nolle ut possit conjungi cum illo altero actu voluntis tuæ, priùs moderatione opus habet.

15. Noli quæso delirare, non cognoscendo differentiam, quæ intercedit inter actus puros spiritualis voluntatis tuæ, & inter volitiones sensualis, & bestialis appetitûs tui. Alioquin in animal irrationale denuò dengenerabis, si, inquam, sensualia spiritualibus præferas, totis potiùs viribûs convenit te mortificare omne id, quod est sensibile in te, nunquam obaudiendo illi, nec pluris faciendo, quàm stercus terræ, quod pedibus conculcandum est. Vice versâ oportet te illud alterum spirituale in te, æstimare suprà pupillam oculi tui, illúdque custodire in centro cordis tui. In hoc enim, filia mea, stat omnis vita, pulchritudo spiritualis, & perfectio tua, juxtà dictum citati Protæ 2), *omnis gloria ejus filiæ Regis ab in-*

intûs, in fimbriis aureis, circum amicta varietatibûs. Hoc eſt, intrà animam tuam in actibus puris, ſimpliciſſimíſque aureæ charitatis. Qui, cùm ſint adeò intimi, adeò ſecreti, & puri, ſubtrahuntur oculis immundiſſimi, & infernalis Baſilisci.

16. Ex his jam intelliges, quam ob cauſam toties deducamSponſas meas amantiſſimas in ſolitudinem interiorem 3). Admonendo eas, ut diſcant ibi orare in abſcondito, & condenſis. ideſt, in centro ſuæ puriſſimæ voluntatis, quatenus ſcis oculos inimicorum ſuorum effugiant, qui ſuprà modum illas videre, & ſcrutari deſiderant.

17. Quapropter pone ſedulò ſuprà cor tuum, ut mortificationem appetitûs, omníſque ſensûs tui omninò magni facias, quia mediantibus ſolîs iſtîs te dæmones obſervare poſſunt. Quoties enim uni ex illis (id eſt ſenſibus & appetitibus) faves, & inſervis, toties foràs prodis, & conſequenter inimicis tuis in oculos cadis, qui omnem movent lapidem, ut actus gaudii amoris, timoris, deſiderii, ſpei &c. non niſi ſenſibiles elicias, ut oculos, & aures rebus curioſis, novellis, externis, ac va-

vanis aperias, quatenùs te extrà te, & quoquo modô foras trahant, ut tibi loquantur, te videant, tentando ſolicitent. Uno verbô, ut ſic datam fidem tuoSponſo frangas, ac amorem tuum alio transferas.

18. Aſſecuro te Filia, omnem curam meam in eo eſſe, ut perſuadeam tibi recollectionem internam, ubi ego & tu, ſolus cum ſola & ſimul gaudeamus. Illi autem, qui oderunt te, nihil priùs habent, quàm ut egredi te foras faciant, quatenùs ſic ſenſibus & deſideriis tuis ſatisfaciendo, ac exceſſivè inhærendo, retrorsùm abeas, Sponſum tuum deſeras, sícque me ínfelici divortiô, te Sponsâ meâ amatâ, penitùs prives.

19. Ama igitur tam internam, quàm externam ſolitudinem ac recollectionem; maneas in illa, niſi aut obedientia, aut charitas inde, aut inevitabilis neceſſitas te avocent, hac enim ratione tu non exibis inde, ſed ego ſum qui extraho, & ex hoc ipſo cuſtodio te. Ama etiam mortificationem propter me 3). *Exemplum enim dedi tibi ut & tu ſic facias*, te amore mei non ſolùm in majoribus, ſed etiam in minimis mortificando. Sic libera & tuta ab oculis inimicorum

tuo-

tuorum frueris dulcissimo aspectu meo, in hoc siquidem unicè consistit felicitas tua.

1) Ps. 83. 3. 2) Ps. 44. 14. 3) Oseæ 2. 14. 4) Matth. 6. 6.

SOLILOQUIUM VI.

De oratione quietis, & cessatione intellectûs ab omni operatione, & actu, nihil aut boni, aut mali cogitando.

1. *Sponsa.*

Adhuc, amabilissime Sponse! sentio puncturas nonnullarum spinarum, quia in tertio Soliloquio fecisti mentionem, quòd debeat intellectus feriari ab operatione, suspendendo omnem actum, nihil prorsùs cogitando; & licèt hoc explicatum sit à te, tamen inhæret scrupulus, tollens quietem animæ meæ, quousque tu ipse Domine illum lumine sancto tuo amoveas à me. Est sententia Virorum illustrium tam doctrinâ, quàm spiritu: Non esse quidquam, quod animam sic disponat ad visitationem, & præsen-

tiam tuam, quàm ſi ſit tota quanta otioſa ipſa potentia intellectiva, & ſine omni operatione, nihil nec boni, nec mali cogitando. Durus videtur hic ſermo, Domine. Sic enim erit anima mea, ſicut ſpeculum ſine ulla imagine, vel ſicut tabula raſa, imò ſicut Brutum, aut Satyrus, qui etiam non cogitant.

2. *Sponſus*. Satìs ſapienter hac de re ratiocinaris, filia mea! profectò, ſi mentem eorum intelligeres, videres utique, quòd in ſuo ſenſu bene loquantur omnes. Duplicem finem poteſt habere hæc illorum doctrina, quandò dicunt, animam in oratione quietis nihil, nec boni, nec mali cogitare debere. Si enim ſenſus eſſet, nihil aliud præter hoc prætendere, & quærere debere ipſam animam [quod ipſis nunquam venit in mentem] hæc certè eſſet doctrina ſylveſtris, & peregrina, ùt ipſamet notâſti, niſi fortè dicere quis vellet, de duobus malis minus eligendum, & convenientiùs eſſe, nihil omninò cogitare, quàm malè cogitare; ſive, ùt aliud habet proverbium, *melius eſt, eſſe ſolum, quàm malum ſuſtinere ſocium.* Poſſet tamen contingere, animam uſque adeò laſ-

ſari, ut quietis loco eligeret, illud nihil cogitare, séque habere, quaſi dormiret, & hoc non eſt malum, ſicut & dormire non eſt malum, ſi non longo tempore, & nimìs frequenter fiat.

3. Etiam alter finis dictæ doctrinæ non eſt, ut anima pro tunc nihil præcisè cogitet, niſi fortè per breviſſimum inſtans temporis: quod tunc fit, quandò ſe exuit, & ſpoliat omni proprio intellectu, & voluntate, habens pro ſcopo, & objecto ipſiſſimum nihil; & tali modo per illud inſtans nihil habet, quia omnia reliquit, etiam me ipſum, eo quòd non cognoſcat meam voluntatem circà ſe, ſed exſpectet illam, & operationem meam in ſe, tanquam in puro, & limpido ſpeculo, ab omnibus peregrinis, & alienis figuris exinanito.

4. Cum his omnibus necdum ad hoc pervenit punctum, in quo ego eam inveſtio ſubitò, transformo, ac mecum unio, quamdiu mihi placet, quia mihi lex nulla poſita eſt, ideóque experitur in illa fruitione bona, & gaudia uſque adeò ineffabilia, quæ nullâ ratione valet vel capere, vel intelligere, prout tu ipſamet teſtimonio eſſe potes.

5. Poteris ergò bene huic te doctrinæ conformare, moderatè tamen, & non multo tempore, & cum intentione, per hocce medium, *non cogitandi quidquam*, assequendi tam grande bonum, prout suprà dictum est. Ecce! hoc te volunt docere Sancti mei per ista verba: nam sicut ego ex nihilo creavi omnia, sic in illa spiritûs nuditate, in qua nihil ampliùs restat, nec de te, nec de tuo, ego operor omnem, quam volo, perfectionem: & hoc experieris, quoties te intrà te recolligis, dicendo: nihil desidero, nihil volo ampliùs, ô Domine! nisi te, amor meus, & Deus meus!

6. *Sponsa.* Utinam, Domine mi! daretur mihi nunquam non versari in hoc nihilo, quandoquidem tantis bonis cumulatur in illo anima mea! Utere cum grano salis, filia! cum discretione, & prudentia salutari hoc consilio. Absit, ut semper hæreas in ista tuî annihilatione; hoc enim esset irrationabiliter procedere, sed solùm, quoties te, & cogitationes tuas cernis vagari inter creaturas, ac extrà me; & etiam tunc oportet te attendere, ne quid nimìs, sed solùm, quan-

tum opus erit. Exſpecta me, donec veniam, & inveſtiam te gratiâ, ac præſentiâ meâ, quia 1] *veniens veniam, & non tardabo.* Quodſi immerſa in nihileitate tua, fixa hæres cum tædio, nec vales emergere, humilia te, fructúmque de præſenti, ac futuro multum poteris colligere.

7. Reflecte inſuper, te ſemper plus poſſe accipere, quàm dare, magíſque pati, quàm agere: quia ſicut ego abyſſus ſum divitiarum, ac bonorum omnium, illa tibi dandi; ita & tu es abyſſus, illa recipiendi, nihílque eſt, quod te magìs idoneam, capacémque efficiat ad recipiendum, ac patiendum, quàm nihil te æſtimare, & *nihil prorſus cogitare*, ùt nuper dictum eſt. Ex his illam intelliges famoſam ſententiam magni Dionyſii mei, datam inſtantibus, quânam ratione ſervus meus Hierotheus tantum profécerit ſuprà alios in perfectione amoris mei? reſpondit ille: *Sciebat pati*, hoc eſt, ſciebat patiendo, & recípiendo præparare ſe ad illam per hoc nihil, id eſt, pro tunc nihil agendo, ſed paſſivè in conſpectu meo ſe habendo.

8.

8. *Sponsa.* Obſecro, Domine mi, & Sponſe dilectiſſime! ediſcere, éſtne fortè hoc illud nihil, quod ortum ſuum à cognitione propria ſuî habet? ac ſuæ ſummæ vilitatis? Minimè, Filia mea! quoniam hæc eſt alia cognitio, in qua anima attribuit mihi, tanquam Auctori rerum omnium, totum, quod habet, & eſt, tam in ordine gratiæ, quàm naturæ: conſiderandóque ex altera parte, ſe prorsùs nihil ex ſemetipſa eſſe, ſeſe abjicit ad infimum totius entis creati locum, & ne formicæ quidem ſe audet comparare. Pro exemplo tibi ſit Mater mea, fac juxta hoc exemplar, & vives in magna pace, præparabíſque animam tuam ad recipiendas novas quantociùs gratias.

9. *Sponſus.* Quæres fortaſſis, num præter dicta duo nihil aliud ſuperſit? Reſpondeo, quòd ſit; ſed nollem ego te in hoc tertio videre: quoniam abominabile eſt nimìs in oculis meis, utpote peccatum mortale, conſiſtens in privatione omnis gratiæ, & amicitiæ meæ, & incurritur cogitando, loquendo, vel agendo graviter contrà legem, ac mandata mea. Attamen ſi huic terribili nihil cognitio ſuî, & ſuæ nihileitatis

tatis ponitur ex adverſo, tunc fit verè pœnitentibus cauſa maximæ humiliationis, prout ipſamet teſtis exiſtis, quoties rememorando defectus tuos, quantumvis veniales, te mihi offers, reputans te indignam uſquequaque præſentiæ meæ cum totali tuî reſignatione. Et hæc omnia ſunt effectus humilitatis, gratitudinis, & amoris, ortum habentes ex corde contrito, & humiliato; nôſti autem 2), quòd cor contritum, & humiliatum nunquam deſpiciam, ſed potiùs multam gratiam, multámque gloriam communicare eidem ſoleam.

1) Habac. 2. 3. 2) Pſ. 50. 18.

SOLILOQUIUM VII.

De multiplicitate viarum Domini, ſive orationis mentalis, quódque nemo debeat impedire animas ambulantes per eas, nec per alias ducere.

1. *Sponſus.*

SEmper te video, Filia mea! in pœna, & triſtitia, quoties audis, perdere illos & tempus, & viam, qui tempore ora-

orationis ſuæ non meditantur vel in vita, vel in paſſione mea. Ego [ut veſtro loquar modô] ægrè ipſe ſuſtineo, vos taliter inſtrui à Miniſtris meis. Si ego non eſſem, niſi purus homo, rationem utique haberent doctrinæ ſuæ, & bene facerent, Magiſtri quidem talia docendo, diſcipuli autem in obſequendo. Modò autem, cùm ſim æquè verus Deus, ac verus homo, oportet utique, ut animæ in ſchola orationis non ſemper occupentur in illis tantùm, quæ ſunt humanitatis meæ, ſed laxentur habenæ, quatenùs poſſint etiam meditari in illis, quæ ſunt Divinitatis meæ, juxtà exemplum Apoſtoli mei 1) dicentis: *Etſi cognovimus ſecundùm carnem Chriſtum; ſed jam non novimus,....* hoc eſt, non contemplor Chriſtum ſolum tanquam hominem, ſed tanquam Deum, quia de meditatione humanitatis meæ tranſitus eſt faciendus ad contemplationem meæ Divinitatis. Ex hac enim ratione illa vocatur & via, & porta 2), per quam itur, & per quam intratur ad contemplationem meæ Divinitatis 3), in qua te novi, quaſi ordinariè occupatam.

2. Si attenderent servi mei, & considerarent vias meas 4), viderent illas esse multas, variásque, per quas deduco ad me animas meas. Insuper si reflecterent Jerusalem cælestem 5), non habere unam solam, sed duodecim portas 6), & in domo Patris mei mansiones multas esse 7); item terram cordis in variis subjectis varios facere fructus, non ita in cassum laborarent, volentes omnes animas per eandem dirigere viam, intrare per eandem portam, habitare in eadem mansione, & à cunctis æqualem exigere fructum. Terra frigida, Filia charissima! est apta certis fructibus; calida autem aliis, sicca & humida aliis.

3. Non recordaris, qualem modum observavi in distributione talentorum meorum 8), quando alteri unum, alteri duo, alteri quinque assignavi. In vanum ergò exigunt nonnulli servorum meorum duo talenta orationis ab eo, qui non nisi unum accepit: aut quomodò extorquebunt quinque ab illo, qui solummodò duo habet? Fortior est certè vocatio mea, quàm illorum. Cogant illi, quantùm possunt, animas per unam, eandèmque viam ora-

orationis incedere. Si ego eas incedere volo per aliam, nihil proficient certè, nisi ut mortificent pauperculas ad ossa usque, dum tanquam humiles, & obedientes nituntur in vetitum sequi doctrinam illorum, me, meóque spiritu illis ex adverso occurrente, atque in viam contrariam illas invitante.

4. Rumpant itaque ejusmodi caput suum, frænísque, lorísque, flagellis, & calcaribus compellant oves incedere per semitam timoris: in fine tamen eas invenient in via amoris. Inane quid prorsùs est, instigare ad meditationem quatuor novissimorum, quem ego suaviter allicio ad ruminationem amorosam meorum beneficiorum. Similiter frustra fatigatur in meditatione meæ humanitatis, cujus ego succendo viscera, & immergo in abysso meæ Divinitatis: sicut nec poterunt elevare alicujus mentem ad contemplationem Divinitatis, quem ego detineo, & reficio meditatione meæ humanitatis.

5. Iterum repeto, si servi, & ministri mei non satagant sapere, & scrutari, quorsum ego dirigo animas, nec velint conformare se, suámque doctrinam vo-

luntati meæ, non nisi actum agent: denique tamen fiet, quod ego volo, omni illorum velle in aquas abeunte.

6. *Sponsa.* Exultat, & lætatur nimìs anima mea in hac suavissima doctrina, suavissime, & amabilissime JEsu! Ego enim ipsamet sum ex numero afflictarum illarum, quæ se non semper poterat divertere à contemplatione tuæ superabyssalis Divinitatis ad meditationem tuæ sanctissimæ Humanitatis, prout jussa aliorum postulabant. Tu autem nôsti, Domine mi! hoc minimè fieri ex defectu amoris, aut reverentiæ erga tuam sacratissimam Humanitatem, siquidem ejus meditatio est mihi valdè proficua, dulciórque omni favo; quoad sensim sine sensu immergor in superdulci, ac supertranquilla meditatione, & liquefactiva contemplatione suavissimi Spiritûs, ac Divinitatis tuæ; quodsi displiceo tibi hocce in modo orandi, tolle illum á me, aliúmque mihi tu suggere, Domine mi dilectissime.

7. Nequaquam, Filia mea! nullatenus displicet hæc oratio tua, imò est ipsissima, quam ego principaliter exigo à te; si minùs, non adhibuissem tantam curam,

ac diligentiam plantandi illam in te, ſed dudum ſuſtuliſſem â te. Proinde non habes rationem affligendi te. Obſerua, & ſequere ſemper id, quod te promovet ad majorem perfectionem, & ſanitatem. Medium autem ad hoc citò pertingendi præſtantiſſimum, eſt frequens & humanitatis, & præcipuè divinitatis meæ contemplatio, hac enim augetur tuî cognitio, creſcit humilitas, augmentúmque ſemper facit obedientia, ſpes, timor, & charitas.

1) 1. ad Cor. 5. 16. 2) Joan. 10. 9. 3) Item 14. 6. 4) Pſ. 15. 10. 5) Apoc. 21. 12. 6) Joan. 14. 2. 7) Luc. 8. 15. 8) Matth. 25. 15.

SOLILOQUIUM VIII.

De ſex viis orationis tendentibus ad unam principalem & Regiam, ſcilicet ad contemplationem, & ad animæ cum Deo perfectam unionem.

1. *Sponſa.*

DOmine, ac Sponſe dilectiſſime, quandoquidem ſuprà mentionem feciſti de tantis manſionibus, viis, portis, atque talentis, non moleſtum tibi accidat, illa fu-

fuſiùs explicare, Quatenùs in caſu, quo viam hanc, quàm de facto calco, tuâ ordinatione perderem, ad aliam me interim tutò convertere, coràm te poſſim.

2. *Sponſus.* Quid uſque modò petiiſti? quod tibi negavi? libenter gratificabo & hiſce votis tuis. Scito igitur, omnes iſtas vias, portas, talenta quoque â me reduci ad tres principales vias, ſcilicet ad purgativam, illuminativam, & unitivam. Prima conſiſtit in deploratione culparum, ſecunda in exercitio virtutum, & tertia in dulciſſima unione mecum, mediante cognitione amoroſa, ac conformitate voluntatis omnimoda, volendo omnia, quæcunque ego volo, nolendóque, quæ ego nolo, & averſor. In his tribus prima & quidem bona, ſecunda melior, tertia autem optima eſt.

3. Nihilominùs dantur præter enumeratas adhuc aliæ inde, quaſi totidem rivuli derivatæ, ſunt autem oratio vocalis, meditatio, actus virtutum, contemplatio divinitatis meæ, vel ſeorſim, vel ſimul cum humanitate mea, denique unio beata. Ex his prima eſt bona, meliores reliquæ uſque ad ſextam, quæ reliquas omnes

omnes incomparabiliter antecellit tam in bonitate, quàm in præstantia. Nunc æquâ æstimatione illas apud te considera.

4. *Sponsa.* In veritate O Domine, necdum satisfactum est ruditati meæ, tibi satis superque notæ. Et quoniam tu ipse es abyssus infinitæ patientiæ, patienter & hac vice me sustine, mihíque enucleatiori explicatione quod ad singulas hasce vias occurre, nulla prolixitas mihi fiet molesta, sed potiùs per omnia acceptissima. Loquere ergò Domine amandissime, verba vitæ æternæ habes, quæ cum omni aviditate rapiet ex ore tuo Ancilla tua, satiari nescia. Ah fac me in viis istis sanctam, & valdè sanctam. Quo factô redime me de penosa hac vita, & pone me in dulcissima præsentia tua, ibi eructabis mihi verbum bonum, verbum sempiternum, & non nisi unum, quod audiam gaudens sine fine in gloria, per infinita sæculorum sæcula.

§. I.

Prima via, oratio vocalis.

5. *Sponsus.* Prima & principium viarum istarum est oratio vocalis, hanc acci-

cipiens, unum â me accepit talentum, & adeò bonum, ut si bene negotiari cum illo sciet, totum cœlum lucraturus sit. Hoc tamen non obstante, dantur usque adeò superbæ ac rebelles animæ, ut, etsi sentiant, manibûsque palpent, se se mediante hac oratione crescere in devotione, & proficere in virtute, priùs desides aridæque velint remanere, quàm illam secundam voluntatem meam practicare, quia plura talenta desiderantes, hoc unicum talentum quasi contemptui habent, cum illo negotiari detrectantes. Quodque hoc in errore caput est, ipsi mei servi & ministri fautores, & adjutores se se faciunt in hac parte, non reflectentes numerum talentorum parùm ad rem facere, quandoquidem etiam ex unico industriosè applicato, tantum quis potest lucrum haurire, ac alius cum tribus, vel pluribus. Ad quid ergò hæc vana desideria ad multa talenta? Meliùs proinde est, cum eo, quod â me accipit, ac beneplacito meo contentum vivere, quàm pluribus conträ voluntatem meam inhiare. Licet enim alii illum superent in talentorum numero, ipse tamen omnes superare valet in lucro.

6. Po-

6. Ponamus, aliquem dotatum inter alia etiam talento contemplationis, excedentem tamen vel deficientem in modo, ad uſum illius requiſito: hoc ipſo jam poteſt ſuperari ab illo, qui ſuo unicô, etſi inferioris ordinis, bene utitur talentô. Quin imò ſi alter in ſuo ſtatu ſe vellet convertere ad orationem vocalem, cùm nullatenus deberet, nullum prorsùs faceret fructum. Non omnia membra in corpore meo Myſtico unô eodemque poſſunt occupari exercitiô, ſed quodlibet ſuo propriò, ſicuti videre eſt in corpore phyſico, ubi oculi non audiunt, manus non ambulant, nares non guſtant. Qui non ſapiunt, hæc etiam non capiunt, exiſtimantes, imò etiam volentes, totum corpus unum idémque debere exiſtere membrum, id quod planè eſſet inconveniens, résque monſtruoſa haberetur.

7. Sunt non pauci, qui vix labia ad recitandum Roſarium vel alias pias preces aperiunt, & continuò in ſpiritu exardeſcunt. Sed cum illis finis orationis etiam eſt finis devotionis. Spiritus enim ſubitò evaneſcit, & cor in eis quaſi glacies rigeſcit. Iſtis opus eſt frequentare hanc

hanc viam, & in ambulando brachiô sui confeſſarii fulciri. Sed Nota bene, quando in ipſa vocali oratione verum ſupervenit faſtidium & advertit anima ſe ab illa avocari ad meditationem vel contemplationem, tunc debet ab illa ceſſare, vocémque invitantem ad aliam viam, ſequi & audire.

8. Verum quidem eſt, me quandoque concedere ad tempus orationem vocalem, quandoque iterum auferre, aliúmque modum ſubſtituere, ut ſciant hæc dona & talenta mutationi ſubjacere, & non eſſe æterna ſeu invaribilia. Nam ego in his omnibus procedo, prout video conducere ad majorem gloriam meam, & profectum animarum.

9. *Sponſa.* Video Domine mi, etiam orationem vocalem non in modico pretio habendam, quando tua pietas mihi eam concedit, præſertim tempore ariditatis vel tepiditatis. Tunc enim Pſalmi, Roſarium, lectióque libri devoti multum conducere valent ad reſtaurandam perditam devotionem.

§.

§. II.

Secunda via, oratio meditationis.

16. *Sponsus.* Secunda via orationis eſt exercitium meditationis, quisquis, hanc gratiam habet, jam duo talenta habet. Dum enim lingua externè tacet, intellectus & imaginatio non tacent. Recordando ſcilicet, & ruminando hæc vel illa myſteria vitæ ac paſſionis meæ, ſicuti & geſta Sanctorum, quæ legendo vel audiendo ſibi pro commoda materia præparavit. Oportet autem cum attentione & reflexione ſuper hæc interiùs diſcurrere, ſibíque ad profectum illa applicare. v. g. Conſideranti meam nativitatem, ſe ſe offert ſumma paupertas, ſumma humilitas, amor ſummus, ſumma patientia. Hæc in, & apud ſe meditando inflammatur anima; concipítque eadem immitandi ſalutaria deſideria. Sentit etiam ſibi addi novum ſtimulum, in perpendendo multiplices fructus, quos reportârunt ſancti mei, in hoc laudabili meditationis exercitio ſtrenuè deſudantes. Econtrà quantorum cauſa malorum aliis extiterit, illud neglexiſſe, ex quo oritur S. timor illud

omittendi, ac præpositum efficax omni meliori modo insistendi, ne infelicem eorum numerum & ipsa augeat. Hic modus orandi est amplissimus, utpote qui totam vitæ meæ latitudinem, cum omnibus beneficiis in illa inclusis, complectitur.

11. *Sponsa.* Ah quantus dolor est, dilectissime Sponse, animæ meæ, vitam tuam sanctissimam quasi campum latissimum innumeris floribûs adornatam videre, & tamen quasi nullum mihi pastum & gustum præbere? Alii in hoc florido orandi modo delectantur jugiter, & pascuntur, ego sola non possum invenire aditum.

12. *Sponsus.* Si non potes, Filia mea, noli velle, quod ego nolo te posse. Quoniam per tuum velle, & meum nolle nunquam implebitur desiderium tuum. Sícque semper nitendo in vetitum, vel contrà torrentem, qui transvadari non potest, non nisi tormentum senties. Incipe tandem nil aliud velle, quàm ego volo, & assequeris illud cum multa pace, quod desideras. Si ego ista duo talenta tibi dare nolo, fortè

fortè per vim extorquebis illa de manu mea? nunquam certè. Submitte te, & accipe humiliter, quod ego tibi providi: nam hoc tibi multò meliùs erit, ac illud, quod tu incessanter desideras.

§. III.

Tertia orationis via, Actus virtutum.

13. *Sponsus.* Actus virtutum tertium orationis genus formant, quod æqui valet tribus talentis. Quia finis meditationis consistit in omnigena virtutum praxi, & sanctis affectibus. Unde si meditaris nativitatem meam, finis præpositus tibi esse debet, ut exciteris ad actus amoris, humilitatis, patientiæ, paupertatis, & gratiarum actionis &c. Hinc, cui ego mediante fide, absque meditatione virtutem tribuo, & gratiam, quatenùs immoretur in exercitatione similium virtutum, huic exhibeo triplicem favorem atque beneficium, tribus talentis æqui parandum. Ponendo scilicet ipsum sine via in termino, absque eo, quòd se multùm fatiget longo discursu vel meditatione. Etiam ista methodus orandi est spatiosa nimìs, juxtà amplitudinem & multitudinem virtu-

 tum,

tum, de quibus pleni, & referti ſunt plerique libri.

14. Oratio prædicta eſt valdè utilis, & proficua ad hoc, ut quis citò creſcat in virtutibus & meritis. Sicut enim per remiſſionem ac ceſſationem ab actibus deperditur habitus illarum, ſic per frequentationem illorum acquiritur. Et quemadmodum per voluntarium actum mortaliter peccaminoſum meretur quis infernum, ita per oppoſitum voluntarium virtutis actum meretur gloriæ augmentum: quid ergò facient multi actus v. g. fidei, firmiſſimè credendo & contemplando illius veritates? quid actus amoris & charitatis? amando easdem. Quid actus ſpei indubitanter exſpectantis adimpletionem promiſſionum mearum? Quid actus Martyrii & oblationis ad mille mortes amore mei? quid actus pœnitentiæ, humilitatis, mortificationis ac patientiæ? &c. Vide quàm exuberans & fructuoſa ſit oratio iſta.

15. *Sponſa.* O quantum me conſolantur verba iſta! quia per ſæpè in ſimilibus virtutum actibus tranſigo totam orationem meam, & maximè in actibus

amo-

amoris. Tu Domine hoc ipsemet nosti, quoniam per solam gratiam tuam omnia facio, quæcunque facio.

16. *Sponsus.* Valdè benè filia; consume tantùm, consume in hoc exercitio omnem vitam tuam. Ad hoc enim ego veni in mundum, ut inflammarem eum totum igne meo, id est amore meo, nam amor ignis est: Et Ego ipse amor & ignis sum. Optarem, ut & tu suo modô talis esses, eris autem, si te assiduè exerceas in illis, quæ tibi suggerit (quam accepisti) gratia mea. Id est in amorosa contemplatione meæ divinitatis & multiplicis perfectionis.

§. IV.

Quarta orationis via, contemplatio solius divinitatis.

17. *Sponsus.* Contemplatio divinitatis est quartus modus orationis. Magna profectò gratia, & felix anima, cui immensa liberalitas mea simul & semel concedit, quasi quatuor talenta. Fertilis est, & copiosa nimis hæc oratio, æquè ac ipsæ perfectiones meæ & attributa in infinitum perfectissima, unde etiam cau-

causant ineffabilem perfectionem in contemplantibus, & mecum amantibus illa. Eja satage ex nunc assiduè; quod non nisi rarò hactenus consuevisti: contemplare quantum potes pulchritudinem, majestatem, bonitatem, sapientiam, potentiam, gloriámque sempiternam meam. &c.

18. *Sponsa.* Prô quantum ardent vota! æstuant desideria mea! perficiendi Sponsi mei super omnia delectissimi consilia sanctissima. Ah volo, da gratiam, in contemplando & amando consumere & consummare omnem vitam meam. Attamen, ut verum fatear, multis vicibûs non reflecto ad tuas Domine in particulari perfectiones; nec pono oculos meos super attributa gloriosissima tua sigillatim sumpta, sed cumulativè illa repræsento menti meæ, & hic modus in me causat majorem devotionem, quàm ille alius. Dic quæso Domine, quid melliùs sit, & magìs expediat ex his duobus, tibíque placeat.

19. *Sponsus.* Acu tangis illa, quæ solent contingere ambulantibus in hâc sublimi via. Nam quandóque Sponsæ meæ contemplantur me totum simul, quandóque

dóque perfectiones meas ſigillatim. Ille modùs ex his magìs tibi expedit, qui majorem in te cauſat devotionem, pluréſque effectus poſt ſe relinquit. Unum autem te ſcire juvabit, quòd (naturaliter loquèndo) intellectus tuus non ſit in ſtatu per ſe multa particularia ſimul & ſemel capiendi, nec in me, nec in aliis rebus, niſi formet ex omnibus unum. Quemadmodum qui aſpicit tapetem mira varietate contextum. Ille poteſt vel diviſim & ſeorſim egregia illia artis opera luſtrare, vel ſimul in toto aggregato aut complexo figere obtutum. Si primum facit: nunquam hauriet plenam complacentiam & ſatisfactionem, ſi ſecundum, non poterit eſſe, quin guſtum maximum de tantis invicem connexis, & unitis objectis concipiat. Eodem fetè modô res ſe habet in contemplatione eſſentiæ, & divinitatis meæ, quia majorem conciliat devotionem & amorem, interiorem intendere oculum in me, tanquàm in abyſſum, & Pelagus immenſum infinitarum perfectionum, quàm ſi modò unam, modò alteram meditando velis conſiderare.

§. V.

Quinta orationis Myſticæ, via eſt contemplatio divinitatis, ut unitæ humanitati.

20. *Sponſus.* Quintus modus orandi eſt, contemplari naturam divinam cum humana unitam, vitâmque meam, etiam ad minimam uſque actionem, magnificando & exaltando illam. In hoc excellebat magnus ille meus Auguſtinus, quàndò plenus admiratione & ſtupore totus extrà ſe exclamabat, identidem repetendo, *DEUS homo! DEUS homo! Ecce DEUS homo propè perit præ frigore? ſedet præ laſſitudine! manducat præ fame! plangit ex compaſſione! ſemetipſum dat in cibum! ſuſtinétque mortem, & quidem mortem crucis immenſo mei ex amore* 1)? Ipſe abſolutus in profunda hac oratione contemplabatur me eſſe in omnibus etiam minimis creaturis per eſſentiam, potentiam, & præſentiam, & propter hanc rationem fovebat ergà illas ſummam reverentiam, proſternendo ſe in ſpiritu coràm omnibus, immergebat ſe abyſſo ſuæ nihileitatis & anteactæ iniqui-

tatis

tatis. Ecce hic eſt altiſſimus orandi modus, quem rarò, & paucis communico. Attamen non obeſt, ſi quis aliam calcare, conſuevit orationis viam, vel meditationis teneat portam, quia ſufficit vel hæc, vel illa poſſidere talenta. Sæpè enim incipiens orare, ſeu ambulare per hanc vel illam orationis viam, transfertur â me ad aliam, & elevatur uſque ad contemplationem, imò quandoque & uſque ad animæ & ſpiritûs unionem.

1. Joan. 4. 6.

§. VI.

Sexta via orationis, eſt oratio unionis.

21. *Sponſus.* Ultima via ditiſſimáque orationis vena eſt oratio S. Unionis, cui hæc â me in partem venit, beatus profectò in ſuâ ſorte erit, quia ſex quaſi talenta accipit. Quotiescunque oratio unionis tibi ex gratia mea conceditur, toties tibi videtur, quòd tu (licet adhuc vivas,) non ampliùs vivas in te, ſed potiùs ego in te. Quaſi ego & tu una eadémque res eſſemus. Et hoc eſt, quòd paucis verbis comprehendit Apoſtolus meus 1). Quando dixit. *Vivo, ego,*

 non

non jam ego, vivit verò in me Christus. Quid putas causæ fuit, quòd â retroactis diebus non paucis nulla prorsùs propria voluntas nec boni nec mali, nec tui ipsius inventa sit in te? nisi quia in pace ineffabili mediante contemplatione suavissima tota absorpta hærebas in me, exercendo modô & ratione altissima officium Marthæ & Magdalenæ inadvertenter, quia tibi non præsens, & extrà te: Ecce hoc totum erat unio transformationis tui in me per viam amoris, & gratiæ meæ. Hanc autem anima non assequitur nisi per totalem mortificationem appetitûs sensitivi, ac perfectam abnegationem luminis proprii, gustûsque cujuscunque. Qui aspirat ad hanc divinam unionem, debet se disponere ad illam non intelligendo, sed credendo, quia fidei incumbit hujusmodi provincia, & non scientiæ. Insuper requiritur puritas & simplicitas. Siquidem in oratione unionis ipsa anima se habet ad instar chrystalli, hæc si fuerit bene disposita, omníque ex parte munda, & absque macula jam ultrà quòd agat, non superest, sed purè passivè se habet ad hoc, ut pleno sinu solis radios, luménque per to-

totum recipiat. Ecce qualis unio hîc intercedat, nunquid chryſtallus naturam ſuam per illam perdit? Minimè, ſed quaſi elevatur, ut inveſtituram puræ lucis recipiat. Jam calet, radiat, ſplendet, & fulgurat, totúmque orbem ſolarem mirabiliter repræſentat. Quod ſi & tu ita conſtituta fueris, tunc verificabitur, quòd ego vivam in te, & tu in me, & quidem magìs in me, quàm in te. ô felix terra, ô térque quatérque beata! quæ â cunctis, etiam ſubtiliſſimis purgata ſpinis, converſa eſt in Paradyſum voluptatis.

Manuductio compendioſa ad orationem mentalem.

HActenùs de ſpinis ſubtilioribus accuratè ſatis, & multâ induſtriâ actum eſt, jam tranſitum faciamus ad alias ſpinas, ad marinas, ad ſpinas grandes, ad tribulos graves, viam purgativam obſidentes, quæ niſi tollantur ê medio, omnem acceſſum, ad viam illuminativam difficilem, ad unitivam verò penitùs reddent impoſſibilem. Ad has eradicandas accingat unusquisque fortitudine lumbos ſuos, &

& in robore brachii sui provideat utrique manui suæ de armatura ferrea (ferreum intellige propositum) hoc est, ut non convertatur, quousque penitùs deficiant. Exindè poterit applicare curam suam ad novam culturam, & omne semen verum mandare terræ, cui benedicet Dominus; tunc germinans germinabit, & campi replebuntur ubertate, & valles abundabunt frumento. Adesto igitur anima, sive desidiosa, sivè parùm religiosa, converte oculos ad te, & in te; ad te quippe factum est illud exprobativum, lancinans aures tuæ, proverbiorum proverbium (a) *Per agrum hominis pigri transivi, & per vineam viri stulti. Et ecce totum repleverant urticæ, & operuerant superficiem ejus spinæ.* Audis hæc, si tamen aures audiendi habes; tu, tu es vinea hæc inculta, sylvescens & neglecta, tu terra aggrestis omni zizaniorum colluvie ac tribulorum abominatione referta, faxit Deus, ut tandem cor induratum & insensibile deponas, oculos aperias, & alta mente deplorandum tuum perpendas statuum. Cur ita torpescis in via perfectionis? cur semper jaces, & non progrederis? cur? nisi,

quia

quia tantis támque periculoſis peccatorum tuorum, quaſi tot ſpinarum ac urticarum plagîs præpediris & vulneribus. Si hæc nondum movent, aperi ſaltem aures meliori, cæleſtíque Ciceroni, qui ſanctiori ſuadâ intima cordis tui viſcera penetrabit. Eſt ille non alius, quàm S. Joannes â Cruce Doctor Myſticus, qui in opere ſuo completo, Italicè nuper Venetiis excuſo, part. 2. fol. 138. ſequentia habet.

Quæcunque anima Religioſa, aut devota, brevi temporis intercapedine deſiderat, pertingere ad ſanctam recollectionem, ad ſpirituale ſilentium, ad nuditatem, ac paupertatem ſpiritûs; Ubi pacificum refrigerium, & Spiritûs S. delectabilis aura percipitur; ubi anima Deo unitur; ſemetipſam univerſis creaturarum extricet obſtaculîs, dæmonísque technas, & deceptiones declinet, nec non ſe ipſam â ſe ipſa expediat: ſubjectísque ſe ſe documentís exerceat, oportet. Ubi notandum, tres infames dari impoſtores, qui identidémque zizania in agro cordis noſtri ſeminant, urticásque & ſpinas in vineas portant. Sunt autem nominatim Mundus

Dæ-

Dæmon, & Caro. Primus & cæteris imbecilior, ſecundus ad dignoſcendum difficilior, & ad fallendum aſtutior; caro verò omnium pertinacior, cujus pugna in homine durat, quamdiu vetus homo in illo perſeverat, ut autem unum iſtorum perfectè expugnet, omnes tres vincat neceſſe eſt. Quatenùs neuter alteri ſubſidio eſſe poſſit. Et juxtà menſuram, qua unus eorum debellatur, etiam ſecundus & tertius enervatur. Ecce viam compendii, per quam ſine cura extraordinaria, & absque multâ defatigatione pertingere vales, ad eminentem perſectionem, ad pacem ſanctam, ad virtutem denique quamvis, eámque in ſummo gradu obtinendam. Quidquid enim damni anima religioſa ſuſtinet, â capitalibus hoſtibus hiſce ſibi inferri, omnibus in confeſſo eſt. Proindè per ſubjugationem eorum perfectam, ſedebit in pulchritudine pacis, & in tabernaculis fiduciæ, nec erit ultrà occurſus malus, aut hoſtis, qui exterreat. Sed quia ſine pugna non datur victoria, nec coronatur, niſi qui legitimè certaverit, triplici cautelâ contrà ſingulos hoſtium opus erit, qui caſtellô animæ ſuæ illos arcere, finésque ejus in pace poſſidere cupit.

Con-

Contrà Mundum CAUTELA I.

Ante omnia ſatage, æqualem ergà omnes fovere & amorem, & oblivionem, ſive conſanguinei ſint, ſive extranei, alienare te oportet cor tuum tam ab illis, quàm ab iſtis, imò ab illis quodammodo magis, quia amor naturalis hos inter ordinariè ampliùs viget, ac carnem, ac ſanguinem afficere ſolet. Hunc amorem inceſſanter mortificare debet, qui perfectionem ſpiritualem adipiſci deſiderat. Sit tibi, quivis hominum velut ignotus & alienus; hac enim ratione meliùs ſatisfaces obligationi tuæ ergà illos, quàm ſi affectum tuum, ſoli Domino Deo tuo debitum, eis impendas. Iterùm dico, neminem alterô plùs diligas, ſecùs enim faciens, graviter errabis. Ille ſiquidem majori dilectione dignus eſt, quem Deus plùs amat, tu autem neſcis, quem Deus magis diligat. Cæterùm ſi tu æquè omnium obliviſceris [prout decet illum, qui ad S. recollectionem, & introverſionem tendit] immunis manebis ab errore amandi plùs, vel minùs, qui plùs, vel minùs amari meretur. Nihil cogitationes tuas cum illis occupes, nec circà bona, nec circà

circà malá illorum, sed quantùm commodè fieri potest, omnes devita. Hæc si detrectaveris, bonus religiosus nunquam eris, nec ad S. recollectionem pertingere poteris, nec imperfectiones â data regula deviando, declinabis. Quodsi hac in re tecum dispensare, & inclinationi tuæ indulgere præsumpseris, illusioni Sathanæ locum dabis, qui modò in hoc, modò in alio tibi imponet, vel tu ipsemet sub specie falsa boni, vel mali, impostor tuus eris. Econtrà, si docilis datam cautelam observabis; â laqueis omnibus, qui ex inordinato creaturæ amore animam irretire solent, liber, & immunis manebis.

CAUTELA II.

Secunda mundi cautela versatur circà bona temporalia. Quo circà, ut verè hujus generis nocumenta evitare, excessúsque exorbitantes appetitûs moderare possis, ab omni possessionis sortè te abstrahere, & abalienare, imò & abhorrere debebis. Nulláque rerum quarumcunque solicitudine angi, non cibi, non vestis, non alterius rei creatæ, sed nec diei crastinæ. Hanc enim curam feliciùs super-

nis,

nis, & altioribus, quæ ſursùm ſunt, applicabis, eſto fidelis Domino Deo tuo, ut quæras Regnum Dei, quod intrà te eſt, & juſtitiam ejus, reliqua omnia promittit tibi S. Evangelium adjicienda. Quomodo enim tuî obliviſcetur, cui de animalibus etiam minimis tanta cura eſt. Juxtà hæc ſi feceris, ſilentium, & pacem ſenſibûs tuis conſequêris.

CAUTELA III.

Cautela hæc ſummopere neceſſaria eſt ad hoc, ut quis ſciat cavere univerſa damna, quæ in Monaſterio degenti poſſunt occurrere. Multi enim, qui cautelam hanc non practicârunt, præter bonum, ac pacem animæ ſuæ, quam amiſerunt, etiam in multa mala, & peccata frequenter inciderunt. Quisquis ergò Religioſus eſſe, & religiosè intendit vivere, debet omni ſtudio cavere, ne quid cogitet, ac multò minùs loquatur de his, quæ hinc inde in communitate contîgêre; idem obſerva circà quemlibet confratrum tuorum in particulari. Hinc nec de illius conditione, vel indole, nec de illius verbis, aut factis, nec de modo conſervandi

quidquàm notare, neque de cæteris ejus rebus, etiam ſub ſpecie zeli, in medium afferre te ullatenus convenit; niſi id fiat coram legitimo ſuo ſuperiore, manifeſtandi gratiâ, cui jure competit, ſimilia ſcire & judicare. Nunquàm ſcandalum patiaris, vel mireris, quidquid demùm videas, vel audias, ſed animam tuam in omnigena oblivione omnium iſtorum immunem cuſtodi. Licèt enim inter Angelos vivas, multa tamen, quæ curioſiùs attendis, videbuntur tibi fortè non bona, eò quòd ſubſtantiam illarum non penetres. Sit tibi pro exemplo uxor infelix ipſius Lott, quæ, quòd in Sodomitarum excidio conturbata retroſpexit, viſura, quid circà illos ageretur, punitione divina in ſtatuam, & ſalis petram ſubitò converſa eſt. Quatenus ex hoc ſapias, & intelligas, Dei voluntatem eſſe, etiamſi inter Dæmones vivas, ad ipſorum actiones non attendere, nec cogitationum tuarum caput ad illas retorquere, ſed omnia, tanquàm ad te minimè pertinentia, relinquere, hoc ſolùm ſpectando, ut animam tuam coràm Deo puram conſerves, eámque internè in ipſum transferas

absque

absque eo, quòd vel minima cogitatio, vel reflexio ad alia te impediat. Interim pro certo habeas, nunquàm in communitate (quantúmvis Religiosa) defutura offendicula, cum Dæmones nec ibi desint, omnimodis satagentes, etiam sanctos subplantare. Id quòd Deus partim exercitandi, partim probandi gratiâ permittit. Tu ergò, nisi tibi juxtà allegata prospexeris, & non secùs, ac si non esses, in Monasterio vixeris: quantúmvis allabores, Religiosus esse non poteris, neque ad S. nuditatem, aut recollectionem pertingere, neque latentia inibi damna subterfugere. Claude aures, quibúsvis rationibus, quovis sub motivo, vel fine aliud suadentibus. Alioquin non parùm impinges, & à Sathana deprehenderis, quin imò jam satìs deprehensus es, quoties similibus distractionibus animæ tuæ aditum præbes. Memento, quid dicat S. Jacobus Apostolus 2). *Si quis putat, Religiosum se esse, non refrænans linguam suam, hujus vana est Religio.* Quòd non minùs de interiori, quàm de exteriori lingua intelligendum est.

Cautelæ contra Dæmonem.

Tribus etiam cautelis uti debet, quisquis ad perfectionem verè aspirat, ut secundi hostis (Dæmonem intellige) ungues, & manus effugiat: quapropter notandum est, millenas inter fraudes, quibus Personas spirituales decipere nititur, ordinariam, magisque frequentem esse, qua sub specie boni, non verò sub specie mali illudit. Optimè quippe novit versipellis ille, neminem malum, sub ratione mali cognitum, unquàm admissurum, nisi speciem aliqualis saltem boni, vel apparenter ei affingat. Idcircò nunquàm non debes timere etiam id, quod apparet bonum, & tunc maximè, cum illud non præstas ex obedientia. Proindè tutum, & sanum erit, simili in re illius consilium sequi, â quo illud petere teneris.

CAUTELA I.

Cautela igitur prima contrà Dæmonem, ejúsque spinas esto, ut nunquam ad aliquid agendum movearis [quod ex statuto ordinis tui facere non teneris,] quantúmvis bonum, ac charitate plenum videatur, nec tibi, nec alteri, vel intrà,

vel extrà clauſtrum exiſtenti, absque præſcripto obedientiæ, meritum ac ſecuritatem tribuentis. Sic enim procedendo proprietatem vitabis, Dæmonémque, & ejus, quæ ignoras, damna ſubterfugies, de quibus ſuo tempore Dominus Deus rationem â te exiget. Attende, ut hanc cautelam tam in parvis obſerves, quàm in magnis, alioquin non poteris, non â Dæmone decipi, ſivè parùm, ſivè multum, quantúmvis rectè te agere arbitreris. Licet enim aliud non incurreres detrimentum, quàm non ſequi in omnibus obedientiæ ductum, hoc ipſum ſatìs notabile foret, ſiquidem notabiliter errares. Deo enim obedientia magìs placet, quàm ſacrificia. Aliundè etiam Religioſi actiones non ipſius, ſed ſuperioris ſunt, quas ſi ab illo ſubtraxerit, tanquàm infructuoſæ, & perditæ habeantur ab eo; ideóque caveat ſibi â ſpinis iſtis.

CAUTELA II.

Pro ſecunda Cautela tibi ſit, ut nun-Prælatum tuum [quicunque ille ſit] aliter aſpicias, quàm ſi aſpiceres ipſum Deum, quippe qui tibi Dei vice datus eſt, &

& in quo Deus semper præsens existit, & loquitur tibi. Ubi Nota, Dæmonem juratum omnis humilitatis hostem, hac in re se non parùm ingerere. Cæterùm si Prælatum tuum [uti dictum] intuearis, maximum inde lucrum, fructúmque reportabis, sin minùs, jacturam, & nocumentum immensum feres. Unde sedulò invigila, ne illius conditionem attendas, non modum procedendi, nec alias qualitates, vel rationes, alioquin divina in te obedientia in humanam cum plurimo degenerabit damno, solúmque ad obediendum movebunt, motiva extrinseca, oculis externis sensibiliter occurrentia, non verò ipse Deus invisibilis, cui in persona superioris tui inservis; sícque obedientia tua nominalis tantùm, & vana, minimè autem vera erit, eóque infructuosior, quô tu vel ob adversam Prælati tui conditionem plùs gravaris, vel ob genio tuo gratam, & acceptam magis hilarescis. In veritate tibi dico, Dæmonem ob similes obediendi rationes maximam in Religiosis non paucis perfectionis stragem causàsse, quorum omnium perexigui meriti, ac pretii obedientia est apud Dominum Deum, eò

eò quòd ad futiles ejuſmodi rationes oculos habuerint apertos. Claude igitur quantocyùs oculos tuos, omnésque contrà temetipſum vires impendas, ut eò uſque pervenias, quòd tibi perinde ſit [quantum ad tuum privatum ſpectat ſenſum] utrùm iſte, vel ille Prælati locum teneat. Vice verſa, nullatenus poteris eſſe ſpiritualis, neque vota tua fideliter cuſtodies; ſed fructûs locô, terra tua ſpinas, tribulásque tibi germinabit.

CAUTELA III.

Tertia cautela, Dæmonem directè, quaſi Aries potentiſſimus impugnans, eſt, ut ſeriò ſtudeas, te ipſum jugiter in omnibus, verbô, opere, & cogitatione humiliare, aliorum bonis ità, imò & plùs congaudendo, quàm tuis, cupiendo inſuper, ut omnes in omnibus præferantur tibi, & hoc ſincero corde, hac enim ratione vinces in bono malum; hoſtem tuum procul pelles; & cordis lætitiam poſſidebis. Maximè, ſi hæc præſtare ſtudes ergà illos, ergà quos mínùs afficeris, quorúmque converſatio magìs tibi diſplicet. Cæterùm tibi perſuadeas velim,

 quòd

quòd niſi hoc pacto te geſſeris, nunquam ad veram charitatem pertinges, nec in ea progreſſum aliquem facies. Ama ſemper doceri potiùs ab omnibus, quàm velle docere etiam omnium minimum.

Cautelæ contrà carnem & ſenſualitatem.

Aggrediamur modò generoſo animo, & tertium hoſtem, ſi de nobismet ipſis, ac noſtra ſenſualitate plenam deſideramus reportare victoriam.

CAUTELA I.

Pro prima cautela tibi ſerviat, ut tibi perſuadeas, te alium ob finem non veniſſe ad Monaſterium, quàm ut ab omnibus, & ſingulis, quaſi totidem lapicidis exagiteris, & poliaris ab illis. Quare ut evadas imperfectiones, & inquietudines, quæ circà conditionem, & converſationem Religioſarum poſſunt contingere, útque ex quovis eventu fructum percipias, cogita, quotquot numeras confratres, ipſos non niſi officiales eſſe, & miniſtros [uti & revera ſunt] ad dolandum, & mortificandum, tibi immiſſas. Et ab his quidem exercendus es pungentibus

verbis, ab aliis perversis judiciis, & cogitationibus, â reliquis invisis actionibus, hísque omnibus ita te subjectum esse oportet, quasi esses lignum, vel lapis in manibus sculptoris, aut pictoris, aut deauratoris. Quòd si hoc non fidelissimè observaveris, nec propriam sensualitatem, nec carnem superabis, nec Religiosis, ut par est, convivere poteris, sed innumera offendicula & proprio, & aliorum capiti, cum dispendio sanctæ pacis induces.

CAUTELA II.

Secundæ cautelæ locô tibi sit, ut nunquam aliquid intermittas, ob gustûs, saporis, vel delectationis defectum, si ad Dei servitium illud fieri expediat: neque exequaris ob solam suavitatem vel delectationem, quàm ex eo percipis; nisi fortè illa æquè facere expediat, ac insipida. Profectò si ad hoc non enitaris, nunquam aliquam animi impetrabis constantiam, nec generosam magnanimitatem, sed semper in infirmitatibus tuis fixus hærebis.

CAUTELA III.

Tertia cautela monet. Ut vir ſpiritualis non ſolùm non operetur guſtûs, vel ſaporis gratiâ, ſed inſuper, quod, ſi quid jucunditatis vel delectabilitatis ipſa exercitia, quæ præ manibus habet, ſecum ferant, nec mente, nec ſenſu eis inhæreat, nec conſtituat finem in eis, nec pro cauſa motiva habeat. Sed potiùs affectet, quod inſulſum, quod aſperum, quod amarum & laborioſum in eis occurrit. Hanc regulam ſequendo amorem proprium & ſenſualem citò exterminabis, atque mirum in modum in amore Dei proficies. Igitur cautelas haſce ſemper ad manum habeas, quaſi ſarculum, ſtivam, & ſecurim, queis peſſimas omnis generis ſpinas, ac tribulos, â terra cordis tui, maledicto cum primo Parente dudum ſubjacente, effodies, & amputabis, ſic purgata, fiet apta, ut in ſinu ſuo omne ſemen bonum & verùm ad copioſiſſimam Meſſem recipiat, quod Doctor Myſticus ex ſalutaribus ſuis monitis mox abundanter pro cultura animæ tuæ ſuo ex ſententiario miniſtrabit. Ut autem hujuſmodi cultura felicior, víſque cautelarum activa efficacior

cior reddatur, ad fructuosissimum orationis mentalis studium & subsidium recurrendum est: quod subjecta monita ex operibus S. Joannis â Cruce, collecta omnimodis promovebunt.

Necessitas Orationis.

Cum oratio sit mentis in Deum elevatio, & nos juxtà S. Paulum oporteat sine intermissione, & in omni locô orare, nunquam debes cordi tuo indulgere, ut se omninò in externa diffundat, ne quidem per spatium unius credo.

Nullatenus poterit Anima sine orationis adminiculo vim Diaboli vincere, aut infringere, nec sine humilitate & mortificatione illius imposturas penetrare, quia Oratio, & Crux Christi sunt arma Dei.

In omnibus necessitatibus nostris, in omnibus tribulationibus & difficultatibus nullum nobis tutiùs ac opportuniùs restat remedium, quàm orationis præsidium, & spes, Dominum Deum per media, suæ Majestati placentia, nobis in omnibus provisurum.

Uti-

Utilitas Orationis.

1. Sit Dominus Deus Sponſus, & dilectiſſimus Amicus animæ tuæ, cujus præſentia ſemper & in omni loco verſetur ante oculos tuos, & in omni re; hac recordatione horrorem peccati nunquàm perdes; amare diſces; & in omnibus proſperum ſucceſſum habebis.

2. Intrà interiora cordis tui, & ibi in præſentia Sponſi tui age, quidquid agis, qui nunquàm ceſſat tibi benefacere, téque habere præſentem.

3. Satage jugiter ſtare in conſpectu Dei tui, & conſervare puritatem cordis tui, quàm ipſe te docebit.

4. Mediante oratione expellitur ariditas, augetur devotio, & anima interiori virtutum exercitio identidem ſe ipſa melior evadit.

5. Noli attendere ad aliorum defectûs; cuſtodi ſilentium; habeto juge commercium cum Domino Deo tuo. Hac viâ eradicabis magnas imperfectiones ex anima tua, ſublimiúmque virtutum theſaurô potieris.

6. Brevis videtur animæ omnis oratio, facta in pura & ſimplici intelligentia,

circà Dominum Deum suum, quantumvis diù multúmque duret. Et hæc est brevis illa oratiò de qua dicitur, quòd cælos penetret.

Qualitas Orationis.

10. Noli occupare sensus & potentias in rebus externis, sed illas solùm, queîs pro tunc carere non potes; cæteras dissoccupatas reserva pro Deo tuo. Procede in omnibus cum advertentia & attentione ad Dominum Deum tuum, & cave, ne velis aliquid sentire vel intelligere in specie & particulari quæ suprà te sunt.

11. Non cesses ab exercitatione ista, quousque ad talem statum pertingas, in quo omnia creata nullius momenti æstimes; nec tu ab illis plùs æstimari desideres, ut in omnimoda omnium oblivione solus cum solo Domino Deo tuo maneas in secreto solitudinis tuæ.

12. Qui coercet desideria sua ne suo pondere opprimant spiritum, ille expeditus erit ad volandum in sublime, sicut avis bene pennata.

13. Non apponas cor tuum in alia re pascere, nisi in solo Deo, sperne & dedignare

dignare omnia alia; quære pacem & recollectionem internam cordis tui.

14. Quære legendo, & invenies meditando, voca in te orando, & non eris multùm difficilis in contemplando.

15. Verus Spiritus, veráque devotio consistunt in perseveranti oratione, cum humilitate, patientia, & diffidentia sui ipsius, cum affectu & desiderio Soli Deo placendi.

16. Illi benè orant, qui in oratione sua solùm petunt, quæ sunt magni momenti, & concernunt suam æternam salutem.

17. Remedium, obtinendi â Deo, quæ volumus, non est meliùs, quàm rogare tota cordis & orationis intentione ea, quæ Divinæ Magestati sunt magìs accepta: hoc modô non solùm impetrabimus salutem, quàm petimus, sed & reliqua, & nos, & nostra concernentia, etsi ista minimè petimus, nec in mentem veniat, ùt petamus.

18. Notet sibi benè quævis anima, quòd licet Deus non statim exaudiat preces suas, nec succurrat, non despondeat animum, quoniam tempore opportuno id

præ-

præſtabit, ſi tamen perſeveraverit, & â ſtatu bonæ vitæ non exciderit.

Motiva ad orandum.

19. Quandò voluntas per id, quòd mediis ſenſibilibûs guſtoſum & delectabile recipit, ſe ſe elevat, ut delectetur in Domino, eóque utitur, ut motivo orandi, nullatenus debet illud rejicere, ſed potiùs per exercitium adeò ſanctum facere proventum, quia tunc ſenſibilia ſerviunt ad finem, ob quem â Deo ſunt creata, hoc eſt, ut per illa magìs cognoſcatur, ac ampliùs ametur.

20. Qui habet ſenſum, ab omni affectu ad terrena purgatum, & uſque ad primum etiam motum ſpiritui ſubjugatum, illi licet de ſaporoſa Dei advertentia, & ejus contemplatione delectari.

21. Quandoquidem juxtà bonam Philoſophiam, tale eſt vivere cujuslibet rei viventis, quale eſt ejus eſſe: hinc ſequitur, quòd, qui poſt mortificatam vitam animalem acquiſivit eſſe ſpirituale, quòd inquam ſine ulla contradictione illud totum debeat impendere Deo ſuo.

22. Omnis anima devota principaliter affigit ſuam voluntatem rebus inviſibilibus, & ideò indiget paucis imaginibûs, nec utitur, niſi ſolummodò iis, quæ magìs aſſimulantur divino quàm humano modô, ſéque illis conformat, ita tamen, ut illas ſibi repræſentet juxtà conditionem futuri, non præſentis ſæculi.

23. Fides & devotio ſunt, quæ primariò in imaginibus deſiderantur, hæc ſi deſint, ipſæ imagines parùm, vel nihil ad rem faciunt. Quæ magìs viva Imago fuit Mundo, ac noſter Salvator? Et tamen, quia carebant fide & devotione multi ſequacium, fructum nullum reportârunt, etiam poſt viſa tanta mirabilia, quæ in illorum præſentia operatus eſt Dominus.

De Loco Orationis.

34. Provideas tibi de re unicâ, de qua plurimùm intereſt, & importat vix non omnia: & eſt non alia, niſi ſolitudo ſacra unâ cum lectione divina. Ibi perſevera excludendo â te omnia, curæ tuæ, vel officio non incumbentia. Quoniam plùs Deo placet, ſi ſteteris ſuper tui cu-

ſtodiam in perficiendo temetipſum, quàm ſi lucrifaceres, te neglecto, ſimul omnes alias. *Quid enim prodeſt homini, ſi mundum univerſum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur?* Matth. c. 16.

25. Purificatus Spiritus non ſe immiſcet alienis rebus, nec caſibus attendit humanis, ſed in ſolitudine interna, ac ſeparatione ab omni creatura, in dulci & ſaporiflua requie communicat cum Deo ſuo. cujus cognitio nullibi meliùs acquiritur, quàm in hoc divino ſilentio.

26. Pro commodiori orationis exercitio illum tibi eligas locum oportet, qui minùs te diſtrahit, & impedit in ambulando & converſando cum Domino Deo tuo.

27. Locus orationis non debet eſſe amænus, nec ſenſui delectabilis (proùt nonnulli ſentiunt) ne recollectio ſpiritalis degeneret finaliter in recreationem ſenſualem.

28. Qui intendit cum fructu peregrinari ad aliquem locum ſanctum devotionis gratiâ, id faciat, quandò ille locus vacat â turbâ, & hominum copia (hoc ſecundum meum conſilium;) etſi non videa-

tur esse de tempore, & festum illius jam transierit. Quia propter occurrentia impedimenta totus aridus, & absque sensu devotionis talis sæpè invenietur; sicque cum pluribus distractionibus recedet, quàm accessit. Addendo, quòd multi recreationis potiùs, ac curiositatis, quàm devotionis gratiâ ejusmodi peregrinationes instituant.

De impedimentis orationis.

29. Qui sinè causa exercitium cursúmque abrumpit orationis, similis est actu habenti, sed imprudenter dimittendi aviculam de manibûs suis, quia sine difficultate non recuperabit eam.

30. Quandoquidem Deus est Ens inaccessibile, non te debes detinere in objectis, quæ â potentiis tuis possunt comprehendi, vel sensibus attingi. Ne dum anima tua quærit satisfactionem suam in ejusmodi vilibus & infimis rebus, perdat activitatem & agilitatem requisitam in ordine ad tractandum expeditè cum Domino Deo suo.

31. Estomachare super omni re, non habente substantiam spiritualem, & ejice

illam ex anima tua, quia ſi retineas eam, perdes omnem guſtum devotionis, ac recollectionis.

32. Qui multùm innititur ſenſui corporali nunquam plenè ſpiritualizabitur, & ex hoc capite multi errant, exiſtimando, per ſolam vim ſensûs ſe poſſe fieri viros magni ſpiritûs.

33. Omnis prætendens in oratione ſenſibiles guſtus & delectationes, apertum de ſemetipſo, de imperfectione veræ devotionis dat teſtimonium.

34. Muſca Melli pedes cum roſtro affigens impeditur ab expedito & proſpero volatu; & anima, quæ plùs æquô ſpirituali inhiat dulcedini ponit libertati ſpiritûs & contemplationi obſtaculum.

35. Qui non eſt diſpoſitus ad orandum in quolibet loco, ſed ſolùm in illo, qui eſt ad guſtum & genium ſuum, perſæpè hallucinabitur, & deficiet in oratione ſua, quia juxtà commune proverbium, non ſcit legere, niſi in unico vulgari ſuæ villæ libro.

36. Cui deficit libertas ſpiritûs in rerum ſenſibilium guſtu, ita ut non ſerviant ipſi pro motivo orandi, ſed potiùs volunta-

tem ſuam in eis paſcendi : huic erunt impedimento in via Domini, & ob hanc rationem debet ſibi non parùm cavere ab uſu illarum.

37. Magnæ inſipientiæ convincitur, qui ex abſentia ſuavitatis & guſtûs ſpiritalis judicat ſibi deeſſe Deum, vel ex præſentia illius credit ſe ſe unâ cum ipſa poſſidere eum.

38. Non pauci, etiam ex ſpiritualibus, occupant ſenſus ſuis in bonis ſenſibilibus cum protestatione, ſe velle incumbere orationi, mentémque elevare ad Dominum Deum ſuum. Hoc autem non eſt orare, ſed magis ſe, quàm Dominum Deum recreare.

39. Omnis Sancta meditatio ordinatur ad contemplationem tanquàm ad finem, hoc autem acquiſito debent ceſſare media. Viator fatigatur in itinere ſuo; quando verò ſemel exiſtit in termino, non ultrà fatigatur, ſed quieſcit in illo. Eodem modô, quandò adeſt contemplatio, fruere, quieſce, & faceſſat meditatio.

40. Sicut nonunquam convenit abſtinere ſuo tempore â diſcurſu intellectûs & meditatione, ne ejus continuatio oranti ſit impedimento : ſic ante tempus non

eſt

eſt abſtinendum ab ea, ne abeat retrò anima, & deſiſtat ab oratione incepta.

41. Tria habentur contemplationis, ac recollectionis internæ indicia. Primùm eſt, ſi anima nullum in tranſitoriis percipit guſtum. Secundùm, ſi delectatur ſilentio & ſolitudine, nitendo ſemper ad majorem perfectionem. Tertiùm, quando diſcurſus & meditatio illi ſunt impedimento, quæ ante fuêre adjumento. Hæc autem omnia debent concurrere ſimul & unita in contemplatione vera.

42. In ipſo contemplationis principio non percipitur amoroſa de Deo notitia, tùm, quia eſt valdè ſubtilis, delicata, & quaſi inſenſibilis, tum, quia anima eſt aſſueta, & imbuta habitu meditationis, magìs ſenſibilis.

43. Quò plùs ſtudet anima vivere diſſoccupata & quieta, tantò plùs augebitur in ea amoroſa contemplationis notitia, magíſque percipietur, & plùs gaudebit de ea, quàm de omni alia re, quia generat pacem, requiem, ſaporem, ac delectationem abſque labore aut fatigatione.

44. Qui jam fecêre tranſitum ad ſtatum contemplationis, nullatenùs ſibi per-

ſuadeant ſe debere, declinare ſemper uſum meditationis, aut non procurare illam, ſiquidem â principio illorum profectûs, non eſt adeò adultus ipſe habitus, ut cum ſecundum placitum ſuum poſſint pro libito reducere ad actum, nec ſunt â meditatione tam remoti, ut non poſſint, qundóque, ut ſolebant, exercitare illam.

45. In omnibus exercitiis ſuis (excepta contemplatione) in omnibus actibus & operibus debet anima præſtò ſemper habere bonas meditationes, juxtà exigentiam & menſuram devotionis ſuæ, ſpecialiſſimè de vita, paſſione, ac morte Salvatoris ſui, JEſu Ghriſti, cum intenrione conformandi ſe ſe illi pro poſſe in omnibus, & quo ad omnia.

46. Quinque conditiones in paſſere ſolitario (ſcilicet Hiſpanico) requiruntur 1). Extraordinaria volatûs ſublimitas. 2) Solitudo, & tanta, quæ non ſuſtinet ullam ſocietatem 3), quòd roſtrum erectum teneat versûs auram 4). Quòd non habeat fixum & determinatum colorem 5). Quòd cantum emittat ſuaviſſimum. Eædem conditiones requiruntur in anima contemplativa. Scilicet, ut ſuprà tranſitoria

omnia

omnia ſe ſe elevet, non pluris illa faciendo, ac ſi penitùs non eſſent; ut ſit amica ſilentii & ſolitudinis, recuſando omnigenam creaturæ, cujusvis conſuetudinem & ſocietatem; ut cor ſursùm ſemper erectúmque teneat ad auram Spiritûs ſancti, & ejus inſpirationes; & tali modô magìs dignam ſe faciat illius contubernio; ut ſit absque ſtabili & determinato colore, ſed ſtet in omnibus ad beneplacitum ſui Creatoris. Denique, ut in contemplatione & amore Domini Dei ſui tota in ſuaviſſimas ſine voce laudes ejus reſolvatur.

47. Etiamſi anima in ſummo contemplationis gradu, & ſimpliciſſimo intuitu divinitatis non recordetur ſanctiſſimæ humanitatis Chriſti, eò quòd elevetur ſpiritus â Deo ad cognitionem omninò ſupernaturalem. Non tamen oportet, ut adhibita diligentiâ ac data operâ ejus oblivionem procuret. Quia mediante viſione & meditatione illius, quaſi dato impulſu facillimè ad altiſſimam unionem quandóque aſcendet. Quoniam Ipſe Chriſtus Dominus eſt via, veritas, porta, imò duxque comésque ad omne Bonum.

48. Verùm tamen in his omnibus magistro & directore opus est animæ aspiranti ad felicissimum orationis & meditationis exercitium, sine quo nulla pertinget ad perfectionis fastigium. Ipsius est tanquam directoris ponere pedes, commissæ sibi animæ in via recta, cavendo, ne tantis occurrentibus spinis graviter vulneretur; ipsius est, ut magistri spiritualis docere manus ejus artem, qua universa tribulorum & urticarum pestis (id est vitia quævis & defectus) successivè eradicetur, ut ex sequentibus patebit.

De magistro spirituali.

Anima sine Directore & Magistro similis est carboni, qui, quantùmvis ardeat & luceat, non subsistet; si solus est, & alteri non jungatur, frigescet & extinquetur.

49. Qui sine duce incedere præsumit in semita salutis & perfectionis, ille comparabiliter arbori plantatæ in campo, vel secùs viam, quæ eò ipso, quòd sine custodia sit, cuivis rapaci manet exposita manui, nec fructus ejus perfectam attingent maturitatem.

50. Arbor ſub aſſiduâ exiſtens cura & cultura Domini & Patroni ſui, exſpectatos affert ſuo tempore fructus in copia.

50. Qui ſolus cadit, etiam ſolus manet in ruina ſua, exiguam habens æſtimationem de anima ſua, quia ſuæ eam committit directioni.

51. Cæcus, qui ductricem manum deſerit, mox cadet, & non ſtatim ſurget, quodſi etiam ſurgat, quia cæcus, & ſolus eſt, neſcit planè quo vadat.

51. Si non times cadere ſolus, quomodò præſumis reſurgere ſolus? recordare plùs poſſe duos quàm unum, quia virtus unita fortior.

52. Non dixit Chriſtus Dominus in ſuo ſancto Evangelio, ubi eſt unus ſolus, ibi ſum ego, ſed ubi ad minùs duo ſunt congregati, in medio eorum ſum. Volens per hæc nos intelligere, quòd in rebus divinis aut magni momenti, nullus per ſe ſolùm aliquid determinet, ſine conſilio Eccleſiæ & miniſtrorum ejus.

53. Væ ſoli exclamat ſpiritus ſanctus, & ideò tam neceſſaria eſt animæ directio magiſtri, quia in duobus faciliùs reſiſtent diabolo veritas ſapientiæ, & operationis.

Adeò placet Domino Deo, hominem per hominem gubernari, quòd abſolutè non velit plenam fidem adhiberi rebus ſupernaturaliter communicatis, donec approbentur ab hominibus, quibus convenit.

54. Quandò Deus aliquid animæ revelat, continuò diſponit ipſam, ut illud manifeſtet Miniſtro Eccleſiæ & Directori ſuo, quem ad hoc poſuit, ut vices ſuas in ea gerat.

55. Non debet obvius quisquis ſibi arrogare directionem animarum, aut applicari ad illam, quia res eſt maximæ importantiæ in negotio adeò gravi, ſemper procedere, uti oportet.

56. Omnis anima proficere deſiderans, bene attendat, quibus manibus ſe ſe in hoc paſſu committat, ſicquidem talis erit diſcipulus, qualis eſt & ipſius magiſter; taliſque ſolet eſſe filius, qualis eſt & ipſe Pater. Et de facili imbibit, ſibique imprimit diſcipulus mores, inclinationes, affectionésque ſui magiſtri.

57. Magiſter & Director ſpiritualis antè omnia debet allaborare, ut integram ſenſuum & appetituum mortificationem ſuo in-

inducat diſcipulo, quatenùs ab illis evacuatus, in libertatem aſſeratur ex tam miſerabili ſervitute.

58. Quid prodeſt alta doctrina, quid polita Rhetorica, aut ſtyli elegantia? juxtà menſuram ſpiritûs vigentis in directore, erit & in diſcipulo profectus.

59. Actio viva, inſtructio ſedula, lingua ſoluta, tunc demùm inſignem cauſant in auditore effectum, quandò ſunt vero & copioſo ſpiritu animata, hoc deficiente, aut nullus, aut modicus erit fructus, calórque in eo, nihílque remanebit, niſi vana aurium titillatio, & ſenſualis complacentia.

60. Rara admodùm avis Director, in quavis via perfectionis, omnibus numeris conſummatus, qui ſcilicet ſit ſapiens, diſcretus, habénsque ſcientiam experimentalem.

61. Diſcretio & ſcientia quidem pro fundamento ſunt in Spiritûs directione prædicta, ſi verò hæc non comitatur, & ipſa experientia, nunquàm bene, nec ad perfectionem, nec ad vocantem Deum dirigetur anima. Quia aut hærebit in via, aut pedem retrò movebit, ſi derector

ctor solùm imbuit eam de iis, quæ ipse legit, non tamen & ipse fecit.

62. Constitutus tali in officio, bene attendat, oportet, ut sit bonus administrator in eo; quòd si temerè erraverit, juxtà qualitatem damni, & erroris, erit & mensuræ castigationis, quoniam Dei negotia, quale est animarum directio, magna cum cautela, curâ, ac consilio sunt tractanda.

63. Alter, quasi S. Paulus sit, necesse est (factus omnibus omnia, ut omnes lucrifaciat) quísque habeat scientiam omnium viarum Dei, per quas ille suas ducit animas, quæ adeò inter se discrepant, ut una cum altera vix [uti & in illa ambulans spiritus) dimidia ex parte conveniat.

Denique, cùm præcipuus honor, qui potest exhiberi Domino Deo, in eo consistat, ùt ei serviamus secundùm perfectionem Evangeiicam, perfectio autem Evangelica magna ex parte sit in oratione continua, *quoniam oportet nos semper orare, & nunquàm deficere.* Matth. 16. Hinc consultum duxi, coronidis locô opusculo apponere media, quæ pro habitu

ora-

orationis assequendo suggerit S. ac Seraphica Mater Theresia, quatenus per bonam orationem vocalem sensim pertingat anima ad mentalem, quæ, etiam teste S. Joanne â Cruce soliloquio 8. per frequentatas, easque devotas aspirationes virtutúmque actûs unâ cum ipsis acquiritur.

Praxis orationis per frequentes actus tum in-tum externos : sive aspirationes ad Dominum Deum nostrum, pro impetrandis diversis virtutibus ex universis operibus S. Matris Theresiæ potiori ex parte collectæ. â R. P. N. Joseph à J. M.

ACTUS PERFECTÆ CONTRITIONIS.

Domine Deus piissimè & clementissimè meus, qui non cessas vocare peccatores ad pœnitentiam, ut indulgeas eis illorum & veniam: ah ignosce, ignosce, & dimitte mihi peccata mea & offensas omnes meas: Da quæso mihi cordialem detestationem & horrorem unà cum intimo dolore circà illas, lucémque, mediante qua cognoscam tanta, quæ perdidi bona, privando me illorum gratiâ, omni pace in-

interna & consolatione, quæ secum affert jugiter bona conscientia. Perdidi prô dolor! perdidi omnem gratiam & amicitiam tuam, perdidi participationem proprietatum tuarum, quæ per dona & fructus spiritûs sancti cuivis animæ justæ solent communicari: perdidi denique hæreditatem beatitudinis, inducendo mihi reatum æternæ damnationis. Fac obsecro, ut dolor iste sit non major, quàm decet pro jactura istâ, quantúmvis magna, sed maximus propter temetipsum gravissimè immensa ingratitudine offensum, qui es fons omnium bonorum, & remedium omnium malorum, datórque omnium, quæ habui, actu habeo, ac quæ tam in hac, quàm in futura vita potero habere. Certé si esset possibile, me strictissima gratitudinis obligatione, quàm habeo ergà te, non obligari, nihilominùs ob summam malitiam discordantiámque, quàm omnis gravis primæ veritatis, infinitæque bonitatis offensa includit [utpote contrà Creatorem, Redemptorem, ac Glorificatorem meum summè amabilem commissa] fas esset omninò, me maximô nunquàm non affici dolore, ac displicentia. Sicuti

&

& actu doleo, mihíque displice omnimodâ deteſtatione, proteſtando ex toto contrito corde coràm te, cum firmiſſimæ emendationis præpoſito, contrà beneplacitum tuum, me nihil unquàm admiſſurum. Et ſicut hoc facio cum diffidentia infirmitatis, ignorantiæ, ac malitiæ meæ, ſic erigit me ſpes & confidentia in te, me certò certiùs impetraturum, quòd ſupplex, & inſtanter rogo â te; qui ſcis, vis, & potens es, faciendi ex Mancipiis Diaboli, filios Dei, ſic credo, ſic ſpero, fiat, fiat Amen.

Actûs Mortificationis, tam in- quàm externæ.

Potentiſſimè moderator ſenſuum omnium, ac potentiarum animæ meæ, ecce ego tibi offerro, & ſacrifico illas cum omnibus motibûs etiam primô primis, ac actibus quibuscunque ſuis, cum determinatione ſeria, procurandi cum tuo favore & aſſiſtentia, quòd non ſit deinceps actus liber in me, etiam uſque ad ictum oculi, motúmque manûs, pedis ac linguæ; imò me non commiſſurum, ut vel in imaginativa vel in phantaſia mea ſit minimùm,

quid

quid, non regulatum â recta ratione, vel discordans â sanctissima voluntate, vel beneplacito tuo, quòdque non teneat invisceratum horrorem sui, mortificationémque naturalis, & inordinatæ inclinationis, proùt desideras videre in sequacibus tuis. Omnes species, similitudines, ac imagines rerum omnium visibilium, intrantes per portas sensuum meorum, mihi servient non nisi pro scala, ascendendi ad supernaturalia & invisibilia, super omnia ad te Dominum Deum meum. Qui ad hunc finem ordinâsti illa, tanquàm medium connaturale & proportionatum nostro modô operandi in hac miserabili vita, largire mihi ad hoc gratiam tuam copiosam. Amen.

Actûs temperantiæ passionum nostrarum.

Potentissime hominum Rector, pone quæso frænum passionibus meis, quæ toties alteratæ, turbant animam meam, & insultibûs violentis deprimentes, legem ei dicunt. Adsit proindè fortissimum brachium tuum mihi notoriæ Peccatrici in auxilium, succurre huic incatenato appe-

-tituum

titum ſuorum mancipio, quatenùs mediante tuo favore miteſcant, & ità ſanentur, ut non remaneant in me, nec amor, nec deſiderium, nec gaudium, nec delectatio, nec dolor, nec triſtitia, nec timor, nec ira, niſi juxtà ordinem & menſuram beneplaciti tui, in quantum ſcilicet poſſunt eſſe hortatores, comites, ac executores fideles omnis ſacroſanctæ voluntatis tuæ. Conforta me Domine, ut tam continuos, tam ſubtiles, æquè ac potentes motus, & impreſſiones ſemper egrediantur â me, tanquàm ab agente cum perfecta abnegatione, ſic volo, ſic deſidero; ſic rogo, ſic propono, da ut efficax ſit propoſitum meum. Amen.

Actus Evangelicæ abnegationis.

Domine Deus meus, cujus eſſentia ubique latens; nobis patet ubique per Potentiam, & mirabilia magna nimìs, quæ jugiter operaris, à te ſiquidem omnia quæcunque exiſtunt, eſſe recipiunt, & vires juxtà exigentiam ſuam ad agendum. Tu es centrum animæ meæ, & fons omnium bonorum meorum: concede mihi potentias totaliter mortificatas. Semper adſit

misericordia tua actuando memoriam meam per præsentiam tuam, illustrando intellectum per eminentissimam sapientiam, & inflammando voluntatem meam solo amore sancto tuo. O magnes divinissime cordis mei, infinita vi ac virtute tua trahe, converte, & recollige ad te omnes vires & potentias meas. Ut nihil sit, quòd retardet illas, quò minùs per continuos, eósque perfervidos actus appropinquent ad te, donec copulentur strictissima unione perfectáque transformatione, & annihilatione mei coràm divinissima essentia tua. Ad hoc adjuvet me gratiosa assistentia tua. Amen.

Actus recollectionis internæ.

Dilectissime Doctor, ac Ductor animæ meæ, corrige cogitationes meas per simplicitatem atque perfectam puritatem, ut ex nunc non occupem illas, nisi solùm aut in te, aut in iis, quæ proximiùs unâ mecum appropinquant ad te. Sint verba mea semper examinata ad stateram S. veritatis tuæ, atque interno dictamini spiritûs tui conformia, sint immunia ab omni curiositate, fraude, mendacio, præsum-

ſumptione, & vana gloria, ſint remotiſſima ab omni injuſtitia, ab omni defectu charitatis, atque ſinceritatis, ſint denique potiùs tua, quàm mea. Ac ſi eſſent â ſanctiſſimo ore tuo prognata. Eodem modô res ſe habet circà opera mea, quantúmvis minima. Da mihi Domine mi dilectiſſime, ut ſint facta in charitate & amore tui, ac proximi mei; ut concordent cum lege tua, síntque unita cum operibus Chriſti tui, quatenùs tali modô majorem accipiant valorem ex tui imitatione, amore, ac perfecta reſignatione, quaſi orta ex te; habeántque pro fine jugiter ac perſeveranter gloriam tuam, juxtà ipſius formam & normam. Et ad hoc per te dirigam omne ſtudium meum, & omnem intentionem meam. Amen.

Actus reſignationis ad crucem, & paſſionem.

Abſit â me, innocentiſſime JEſu, pro me crudeliſſimis manibûs crucifixe, ut ego mihi eligam crucem aliquam ad menſuram genii, & deſiderii mei, ſed tibi cauſam hanc meam penitùs committo, nil magìs optans, quàm, ut cum omni reſignatione

& ſufferentia vivam & moriar in cruce ſecundùm diviniſſimam providentiam ac diſpoſitionem tuam. Fiat mecum juxtà voluntatem tuam, non meam: moriatur & crucifigatur in me omnis inclinatio propria, omnis ratiocinatio & affectio, omnis prudentia carnis cum toto amore proprio. Horreat licet tota natura, tergiverſetur, declinet, quantùm poteſt, & velit aſpectum & nomen crucis, nil intereſt, tu Domine affligens me, non parcas mihi: Ideòque incipiam a modò me perfectè mortificare in omnibus occurrentiis, idque ut aſſequar, animabit me, & verſabitur ſemper ante oculos meos crucifixus amor meus, patiens & moriens duos inter latrones. Hæc imago doloroſa me ſtimulabit ad extirpandam peſſimam ſenſualitatem meam: hæc dulceſcere faciet mihi omnem amaritudinem meam. Fac quæſo Domine, ut totaliter mihi mortuus tibi vivam. Amen.

Actus Humilitatis.

O humillime JEſu, virtutum omnium, ſummæque humilitatis & exemplar & præmium, qui peſſimo Barrabæ non modò compa-

parari, ſed & poſthaberi non recuſaſti, ut vel hoc exemplô diſcamus, tandem humiles eſſe corde: concede mihi in ordine ad eam aſſequendam, profundiſſimam ſummæ nihileitatis meæ cognitionem, affectuosúmque deſiderium vivendi in veritate, exigente me tanti ab omnibus æſtimari, quanti me æſtimabilem coràm te deprehendo, imò quanti tu me [qui per omnia nihil, nihil, nihil ſum, niſi peccator maximus] æſtimabilem judicas. Tali modò de mea prudentia, habilitate, ac ſapientia, cæteríſque donis tuis [quæ indigniſſimus gratìs accepi â te] non inflatus vanè mihi complacebo. Nec ultrà idolum proprii amoris mei, aut honoris deceptus adorabo. Cum præjudicio omnis, tibi ſoli debiti, honoris. Sic exemptus â crudelitate tyrannorum iſtorum libero paſſu, filialíque affectu in omnibus, & per omnia quæram gloriam tuam. Agnoſco certè, & confiteor eam omnem ex aſſe tibi deberi, quia quidquid boni cogito, vel facio, id totum tu ipſe principaliter operaris in me. Proinde tibi & titulô juſtitiæ, & gratitudinis ergò debetur; ſi quid boni unquàm inventum eſt

 in

in me. Sit proinde ex hoc puncto resolutio finalis, ut tibi omnem honorem, & gloriam, uti par est, adscribam: mihi autem pro me omnem vilipensionem [prout & mereor] eligam. In hoc gaudebo, & exultabo, quamdiu & vita, & gratia tua comes mihi erit. Amen.

Actus Fortitudinis.

Largire mihi Domine, omnis virtus, & fortitudo mea, gratiam magnanimitatis, qua omni difficultati, & occurrenti adversitati fortiter pectus offeram, cum sancto mei ipsius odio, quo addiscam, cum pace, & animi æqualitate sufferre omnes pœnalitates ac oppressiones, quæ vel ex parte mea, & naturali conditione, vel aliundè per manus creaturarum tuarum (te sic misericorditer pro mea exercitatione ordinante) obvenientes. Corrige in meliùs Domine, in dies animum meum, ut manus ultrices mihimet ipsi injiciam, ad amputandum â me, quidquid tibi displicet in me. Quoniàm illius erit, & victoria, & gloria, propter quem suspicitur incruenta hæc pugna. Quod si vel metus, vel pusillanimitas exerat caput, succurre

tu

tu mihi fortitudo mea, ut profequar, & perficiam per te, quod incepi propter te. Quia fic ratum, & fixum ftat, non obftante, quocunque periculo vel jactura, five fanitatis, five vitæ, five honoris. Præponderet in omnibus fervitium tuum, & gloria tua, fuccumbat intereffe carnis, & commoditas mea, fic oro fiat. Amen.

Actus Juftitiæ.

Sapientiffime & juftiffime Diftributor bonorum, quæ aperta femper, ac largiffima manu difpergis inter quasvis creaturas tuas. Ah concede animæ meæ ufum perfectum juftitiæ, ut juftificata & ipfa femper fatisfaciat obligationi fuæ, quàm habet fuper fe, tribuendi fcilicet, cuilibet quod fuum eft, tibi in primis quod tuum eft, deinde proximo fuo, five fuperior fit, five æqualis, vel fubditus: denique & mihi, quod fecundum Evangelicum doctrinam tuam pro portione mea jufta mihi competit. Hoc enim conducit ad veram pacem, cum omnibus tribus habendam. Doce me Domine, Magifter optime, femper procurare bonum commune & generale, fic námque magìs

glorificabitur nomen. S. tuum : ſi cum prudentia ſpiritûs propter te recedo â rationibus meis, quoties occaſio poſtulat: ſi corrigo tam in me, quàm in aliis [quantum mei fori eſt) transgreſſiones cognitas ex utráque parte. Ita tamen, ut in neutra correctione vel ſit defectus, vel exceſſus. Hæc peto â te Domine, da, ut quod fideliter petimus efficaciter conſequamur.

Actus Caſtitatis.

Puriſſime JEſu, animarum ſanctarum amator fideliſſime, auctórque omnis puritatis, fac obſecro, ut in medullis & viſceribus meis totaliter deſtruatur omnis inclinatio ſenſualis, Et quoniam mihi donaſti partem adeò nobilem, ſpiritualem, capacémque puritatis, qua gaudent ipſi Beati, concede mihi, ut ex hac hora ſim ſedulus imitator illorum, quatenùs mediante gratiſſima hac virtute & ipſis, & tibi evadam ſimilis: quod ſi in me ſe ſe inſinuant contrariæ ac pravæ paſſiones, non aliter illas aſpiciam, niſi ſiniſtro obtutu, & quaſi totidem carnifices, â divina juſtitia mihi in vindictam præterita-

rum

rum transgressionum, & coinquinationum mearum immissos, ad me torquendum, & martyrizandum, ut hac in fornace fusoria purificetur anima mea, & per importunos hosce exactores identidem exagitata, non suis velit, sed tuis volare pennis: diffidénsque de se, in tua sola discat sperare gratia. Per quàm vera acuuntur desideria, multiplicantúrque nova, & firma novæ puritatis proposita: suggere, tu Domine piissime, media quibus altissimas radices virtus hæc speciosa agat in infirma mente mea. Amen.

Actus Paupertatis.

Domine DEUS meus, Creator totius universi, qui cœlum & terram ornatu tam multiplici decorasti, factus autem homo, paupertatem summè adamasti. Hoc sordidum probat stabulum, hoc vile præsepium, hoc omnis ratio vitæ tuæ, & crucis monumentum. Fiat cor meum pariter plenum S. Paupertate, & evacuetur ab omni terrenno impedimento, quatenùs cuncta vota & desideria mea non spirent, nisi inopiam & spiritûs nuditatem. Hujus amore cupio

etiam in uſu ipſo eorum, quibus licitè poſſum frui, parcus eſſe, & pro poſſe abſtemiùs ponendo felicitatem meam [juxtà datum mihi exemplum] in perfecta evangelica paupertate, ita, ut & defectum in neceſſariis etiam æquanimiter ferendi paratus ſim. Hoc eſt Domine, quòd ſupplex rogo, tanquàm diſpoſitionem importantiſſimam, mediúmque omninò conveniens, pro impetranda vera ſpirituali nuditate. Quia ſic exuendo me, poſſidebo te, & relinquendo totum, inveniam totum: & tunc dicam tibi, imò & cantabunt jugiter, omnia oſſa mea, *Deus meus & omnia.*

Actus Obedientiæ.

Obedientiſſime JEſu uſque ad mortem, mortem autem crucis, doce me immitari te in perfecta obedientia non ſolùm in iis, quæ in lege ſancta tua, in conſiliis evangelicis tuis, internisque inſpirationibus, facienda reliquiſti, ſed etiam in iis, quæ ſuperiores mei, vel directores animæ meæ, quos tu mihi vicarios tuos poſuiſti juſſerint, vel mecum ordinaverint: fac me Domine ſubjugare proprium videri, &

pru-

prudentiam meam per secretam, sublimem ac securissimam sapientiam, in obedientia sancta inclusam. Fac me punctualissimè implere, & quæ modica sunt, & quæ magna sunt cum omni perfectione, non attendendo curiosè, nec ad præcipientem, nec ad rem præceptam, sed tuam sanctissimam voluntatem & ordinationem pede cæco sequendo, quæ internis semper ingeminat auribus meis. Qui vos audit me audit. Ita Domine, audiam & obaudiam, ut tibi semper placeam. Amen.

Actus Fidei.

Domine JEsu Christe Alpha & Omega fidei sanctæ, indulge mihi fidem vivam, & firmam; non informem, sed bene actuatam & perfectam, illam scilicet, quàm tu ipsemet magnam vocâsti, quæque omnia obtinet, méque in omni occasione regat, & gubernet. Ne fallacibus rationibus prudentiæ humanæ decipiatur, vel diminuatur prudens subjectio, servitusque intellectûs mei, aut respectus perfectus ad infinitam, & plùs quàm certam sapientiam tuam, quæ in illa, & in illo, qui magis ap-

approximat ei, invenitur. Dona mihi unâ cum illa & Comites ejus, ſcientiam inquam, conſilium, intellectum, & prudentiam, ut ampliùs perficiatur per illas, síntque mihi in adjutorium, quoties aliquid occurrit diſcutiendum per rationem aut diſcurſum proprium, vel per fidem & ſubjectionem ad illam. Tunc ſtet ſemper electio mea pro fide ſancta, divina, certa, & infallibili tua, & non pro ſtulta ratione & ratiocinatione mea, adeò incerta, totaque erroribus & deceptionibus expoſita. O quantîs deſidero, jugiter aſpicere inſtructorem fidei, & conſumatorem JEſum! Ecce propter fidem hanc ſanctam tuam oppignoro tibi irrevocabiliter fidem meam: ut ſicut tu fidelis es mihi, ita & ego fidelis ſemper maneam tibi. Amen.

Actus Spei.

Domine Deus meus, ſpésque, ſalúsque omnium ſperantium in te, largire mihi benedictionem copioſam tuam, ut ſemper augeatur in corde meo & perficiatur ſpes ſancta tua, ſpes certa, atque ſecura, quàm & in te, & in omnia participantia veritatem ac certitudinem tuam ha-

habere me ſemper oportet. Eſto mihi Adjutor & Protector in tempore belli & tribulationis, quæ vel propter culpam meam, vel propter proventum meum poteſt venire ſuper me, ut perſeveret intrepidùs animus meus, & tota pacifica mens mea, ſtando fixa, & immobilis in gratia tua, adeò, ut per nullam potentiam, nec ullam induſtriam, vel intereſſe divertat â te: ut nec ob caſum fortuitum, imò nec præviſum, ancoram ſuam unquàm dimittat â ſe tot inter fluctus & varietates peregrinationis laborioſæ, & amaræ nimìs meæ. In omni anguſtia & afflictione quanta quanta mea, in ſpe ſancta tua quæram ſubſidium, inveniam ſolatium. Huic me totaliter committo, & commendo, quoniam hæc eſt illa beata ſpes, quæ tantum accipit, quantum ſperat, quæque repoſita eſt in ſinu meo. Non ergò Domine permittas eam eſſe otioſam, ſed activam valdè, ut operetur ſalutem ſtabilem cum omni fiducia, inſtans obſecrationibus die ac nocte cum gemitibus inenarrabilibus. Intereà vitam hanc miſeram tua nutriet ſpes, donec in altera mihi [uti optans optavi] veniat res. Amen.

Actus

Actus Charitatis.

Domine Deus meus, ſcio quia charitas & amor es: fac quæſo, ut hæc virtus pretioſa in meo corde ſemper perficiatur, eò uſque, donec flammîs ſuis omnem amorem proprium meum conſumat in me. Amabo te theſaurum unicum meum, & ſummam gloriam meam, & me in te, & propter te, ut ſerviam tibi Domino Deo meo. Proximum quoque meum amabo eodem prorsùs modô: adjuvabo eum in neceſſitatibus ſuis, ſicut optarem, & ego adjuvari in meis. Denique omnia, quæ ſunt extrà te, in quantùm mihi adjutorio eſſe poſſunt, veniendi ad te. O quantùm gaudeo & exulto, quia dignè & perfectè â temetipſo amaris, quia Angeli & Beati in gloria, ſed & juſti in hac vita illuminati fidei lucerna te amant jugiter, ut ſummum Bonum, ut finem ultimatum, ut centrum ſuorum votorum, & affectuum omnium. O utinam omnes imperfecti & peccatores [quorum ego primus ſum] id ipſum facerent. Da vires, da flammas, & inflammatus, & accenſus ſtudebo, & allaborabo omni meliori modô, ut ardeant & alii, alióſque accendant; ut unâ mecum, quid-

quidquid placitum eſt coram te, & nunc in tempore, & tunc faciant in æternitatem. Amen.

Actus S. Prudentiæ.

Optime Magiſter perfectæ orationis, & contemplationis, doce me ſic applicare huic ſancto exercitio, ut mediante illo merear perfectè illuminari, & in luce tua videre lucem, id eſt, noſſe & me, & te, quantùm licet, & fas eſt creaturæ. Hunc in finem eligo mihi ſedulam S. tuæ Scripturæ lectionem; luſtrabo etiam vitas & geſta ſanctorum, cæteráque apprehendam media, quæ promovere & cauſare in me valent majorem S. prudentiæ intenſionem, cum adhibita cautela, ne illa remittatur ex mea negligentia. Adjuva me Dux, & Doctor animæ meæ ad nuditatem perfectam ſpiritûs, totalémque evacuationem mei ipſius â me, omniúmque cogitationum ac deſideriorum, quæ non approximant ad te; ut diſtr occupata in otio ſancto indentidem vacare valeam cognitioni actuali dulciſſimæ præſentiæ tuæ. Hac viâ creſcet in dies penetratio. S. myſteriorum vitæ ac mortis unigeniti & incarnati

nati filii tui, quoad elevetur in ſublime anima mea, ad cognitionem & contemplationem ſerenam abſconditæ eſſentiæ tuæ; nihil aliud ego rogo, nihil aliud peto, nec poſtulo. Ah oſtende mihi faciem tuam, & ſufficit mihi. Amen.

Actus petitionis juſtæ.

Pater luminum ſanctiſſime, & fons omnis veræ ſapientiæ, infunde mihi illam cum intentiſſimis votis ac deſideriis omnis ſancti ſervitii tui, ad appretiandum omnia in veritate, & ſecundùm ſua merita, ad diſcernendum inter bonum & malum, inter meliùs & optimum, ad eligendum omni tempore cum puriſſima intentione id, quòd juſtum eſt, & eligibile coràm te, ſpecialiter quando ſcyllam inter & charibdin magnarum hæſito difficultatum, ad aggrediendum opus magni momenti. Quandò malæ inclinationes, infirma conſilia, mutabilis ſenſuum inconſtantia turmatim irruunt, [illegible]iſſipent reſolutiones, & bona dictamin[illegible] quæ tempore pacis internæ, & lucis [illegible]ant præſentia. Id quod ordinariè fieri ſolet, quoties ſe ſe abſcondit radius illuſtrationis intimæ, veráque ſa-

ſapientia. Placeat proindè Majeſtati tuæ mihi ſemper eſſe â dextris meis, ne commovear: ſed potiùs adimpleam hoc ſemper, quod cedit tam in proprium, quàm in cujusvis proximi mei bonum & commodum. Da ut inter nos continuò vigeat bona & amicabilis correſpondentia, ad invigolandum eorum proventui ac meliori eſſe, ſine exceptione, & hoc maximè in morali vel ſpirituali ordine. Sed nihil horum valeo ſine numine, quia nihil eſt in homine ſine tuo lumine. Hoc mihi in omnibus adſit, ne tenebræ me comprehendant. Amen.

Actus propriæ diffidentiæ.

O ſanctiſſima Trinitas Deus meus, tu noſti, quia multis bonis propoſitîs, piisque deſideriîs gravida incedit ſemper anima mea, ſed ut ſortiantur effectum, ut veniant uſque ad partum, aſſiſtentia gratiæ tuæ neceſſaria eſt, fateor quidem preces meas, ut audiantur vel exaudiantur, minimè dignas eſſe. Et ex hac ratione interpono intercesſionem ſacratiſſimæ humanitatis Chriſti, beatiſſimæ & immaculatæ virginis Mariæ Dominæ meæ; S. Angeli

 geli

geli custodis; patroni nominalis mei; omnium denique sanctorum & justorum in cælo & in terra, ut meritis ac precibûs suis me adjuvent, doceántque modum & rationem in bonum convertendi mihi omnia bona exempla, & doctrinas, quarum venero in notitiam. Quin & artem hauriendi fructum etiam ex malis discolísque aliorum moribus, cavendo mihi ab illis, & oppositas virtutes amplectendo. Quis mihi det, ut omnis, etiam irrationalis creatura, mihi serviat pro stimulo & calcari, quo rebellis voluntas mea compellatur currere per viam mandatorum tuorum ad te Domine dilectissime, & ad perfectionem statui meo conformem, quò ad incidam in optatissimos loqueos nexúsque strictissimos ardentissimi amoris tui ad omnem laudem & gloriam nominis tui; quoad omnis diffidentia mea convertatur in S. confidentiam. Amen.

Actus bonæ intentionis.

Dulcissime & dilectissime JEsu, qui & in te, & inter se sociasti sanctas ac germanas Sorores Martham & Magdalenam ad meam pretiosam instructionem, qualiter

liter præſentem vitam inſtituere debeam, ut tibi placeam: quia perpaucis datum eſt, jugi vacare contemplationi: hinc vitam mixtam tibi indulges offerri, quæ partim in ſancta contemplatione, partim in laudabili & bona conſiſtat actione, juxtà exigentiam cujusque ſtatûs. Sed quia vitam activam multis obnoxiam curis deprehendo, hinc elevo cor meum & oculos meos non ſine gemitu & lacrymis ad te. Da obſecro piiſſime Domine, ut in omni actione mea ſanetur, directione & bona intentione, quod toties vitiatur multiplici diſtractione. Ecce iterum habeo opus præ manibus, quod aggredior propter te. Hoc incipio, hoc proſequor, hoc finio propter te, & propter honorem, gloriam ac amorem ſanctiſſimi nominis tui: ſit cor meum nunquam non apud te, dum manus occupatur in opere, ut hoc per gratiam tuam feliciter terminato, quantociùs revertar ad te. Sic nunquam (uti ſpero) mihi nocebit actio, ſi ſemper illam comitetur S. meditatio. Amen. Amen. Amen.

Ecce habes benigne lector, in triplici hoc opuſculo, & quo paſcatur, & quo nutriatur ſancta devotio, ut creſcat per frequentatos actus ad habitum uſque tua, & oratio, & meditatio. Horum omnium finis eſto (quem tibi medullitus apprecor) perfecta contemplatio. Si prior utraque bonos, hæc faciet certè ſanctos. Erit autem absque dubio fructus lectionis uberior, ſi mente retineas, quisnam eorum, quæ legis ſit auctor. Eſt cum S. Joanne â Cruce, magno & myſtico illo Doctore, Seraphica ac Myſtica Magiſtra S. Mater Thereſia; hæc cum illo ubique flammas loquitur, & incendia. Faxit Deus, ut & tua apprehendat ignis iſte viſcera, quem nec flumina, nec mors extinquat, nec æternitas ipſa.

fiat, fiat.

O. A. M. D. B. V. M. H. & G.



Emptus est liber iste A.o 1755.
Vilnae p. Bibliotheca Vigrensi.



